



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Scala Jacob

Lindeborn, Jan


Antverpiæ, 1666

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)



Th. 2867.

I VI
29.



~~Handwritten text, possibly a signature or name, crossed out with a thick black line.~~

SCALA JACOB

Virginibus DEO cum proposito
perpetuæ continentiae in seculo
famulantibus applicata

A

R. D. JOÄNNE LINDEBORN,

S. Theol. Bac. Form.

Coll. 10. 1. Paderbornæ



ANTVERPIÆ.

Prostant apud JOACHIMUM à METELEN,
Anno M. DC. LXVI.

22
S
O
L
A
N
A
C
O
B

22
S
O
L
A
N
A
C
O
B

22
S
O
L
A
N
A
C
O
B



22
S
O
L
A
N
A
C
O
B

APPROBATIO.

Liber, cui titulus *Scala Jacob*, &c. nihil fidei Catholicæ, nihil bonis moribus tradit adversum; sed ea exponit morum præcepta, quibus ipse flos Ecclesiastici germinis, Sacræ Virgines, bono Christi odore fragrantior & aspersis variarum virtutum coloribus pulchrior evadet. Legant ergo & prædicent illum illi quibus curæ est Virginum ornatus. Discant ex illo se esse amicos sponsi, à quibus nihil sceleratius fieri potest, quàm si Sponso suæ Sponsæ præripiant affectum; cùm ad hoc debeant primitus an-niti, ut ipsi minuantur & Christus crescat in illis. Ad-vertent se Virginum polluere dignitatem, dum eas à secessu custode Puritatis per lutosos itinerum du-cunt anfractus, & eas ita viarum comites habent ac si ipsi forent ille Agnus, quem grandi Beatitudinis privilegio, quocumque ierit sequuntur Virgines. Notabunt etiam, quòd quò sublimior sit Virginum honor, eò illarum sit cura periculosior, cui nullus est par, quàm cujus carnes timore Domini confixæ & cujus mens religiosa humilitate ad Deum semper ma-net conversa. Quicumque hunc evoluerit & expen-derit librum, huic meæ subscribet sententiæ, ac me-cum illum probabit & laudabit

ABRAHAMUS MATZIUS.

SS. T. Doctor.

1666. 15. May.

* 2

F A-

FACULTAS
SUPERIORUM.

V *Isa censura & approbatione Eximii
Domini Matzii, tenore presentium Ad-
modum Reverendo Domino JOANNI
LINDEBORN, facultatem impartimur,
ut librum suum cui titulus SCALA JA-
COB, &c. imprimere valeat. Actum die
17. Julii 1666.*

JOANNES, Episcopus Castoriensis,
Vic. Apostolicus.

PRÆLOQUIUM,

in quo

Introductio & Operis Ratio

proponitur.



Ominem, quem *inexter-* sap. 2: 23. & 24
minabilem Deus creave-
rat, *Diaboli invidiâ* Pa-
radiso motum ejusque
subditum imperio con-
stat è sacris Literis, quæ
idcirco eum *Principem* Joan. 12: 31. & 14: 30.
hujus mundi appellave-

runt : qui, quem fallaciis obtinuerat, hac
præcipuè versutiâ principatum stabilivit,
quòd suppresso veri & unius Dei cultu infam-
ia hominum probra & vilissima prostibula
in Deorum Album extulerit, eosq; divinis
honoribus celebrandos, eorumque scelestis-
sima facinora (inter quæ principem locum
obtinuere cujusvis generis *impuditiæ*)
tanquã bene gesta hominibus imitanda per-
suaserit, quò, cùm voluptatibus operam da-
rent, non rei impuræ atque flagitiosæ, sed
Religioni se studere sibiipsis persuaderent,
& in hac item re non impuros & sceleratos

* 3

homi-

P R Æ L O Q U I U M.

homines, sed Deos suos, atque Deas se imitari crederent, sive, *ne flagitia* (ut verbis utar
L. 1. Confess. c. 16. S. Augustini) *flagitia putarentur*, & ut, *quisquis ea fecisset, non homines perditos, sed cælestes deos videretur imitatus.*

Callidissimi hujus consilii & sperati ab eo
Sap. 14: 12. successus testis est Hebræus Sapiens: „ Ini-
tium fornicationis est exquisitio Idolo-
rum & adinventio illorum corruptio vitæ,
Ibid. vers. 23-27. est. . . . Aut enim filios suos sacrificantes,
aut obscura Sacrificia facientes, aut insa-
niæ plenas vigilias habentes, neque vitam,
neque nuptias mundas jam custodiunt, sed,
alius alium per invidiam occidit, aut adul-
terans contristat: & omnia commissa sunt,
sanguis, homicidium, furtum & fictio, cor-
ruptio & infidelitas, turbatio & perju-
rium, tumultus bonorum, Dei immemo-
ratio, animarum inquinatio, nativitatis im-
mutatio, nuptiarum inconstantia, inordi-
natio mæchiæ & impudicitia. Infando-
rum enim Idolorum cultura omnis mali,
causa est, & initium & finis. Cui consonant,
quotquot postmodum è Christianis Idolo-
latrarum flagitia enumerarunt, & eos inter,
ne Clementem recenseam Lactantium aut
Orat. contra Idola. Arnobium, Magnus Athanasius: „ Hinc,
jam deinde (is inquit) mala in homines,
ingen-

P R Æ L O Q U I U M.

„ingenti numero incubuerunt : quum enim
„viderent suos Deos istiusmodi rebus oble-
„ctari , statim eos iisdem delictis æmulati
„sunt egregium facinus arbitrati , si exem-
„pla eorum quos summos censebant , imi-
„tarentur : atque inde factum est ut scele-
„ribus homicidiorum , parricidiorum om-
„niumque libidinum succubuerint : nam
„propemodum omnes civitates omnibus li-
„bidinibus scatent ob immanitatem mo-
„rum quam in suis Diis conspiciunt , neque
„est in hoc genere Deorum , quem castum
„appelles , nisi illum fortasse cuius libidines
„testatæ & in confesso habentur. Olim cer-
„tè Phœniissæ mulieres ante Idola prostitue-
„bantur dedicantes Numinibus suum quæ-
„stum , persuasæ Meretricatu ea propitiari
„ac prosperitatem rerum inde nasci. Viri
„quoque abdicato sexu nec se amplius ma-
„res esse ferentes mulierum naturam affe-
„ctaverunt , tanquam ita honorifica grata-
„que Matri Deorum facturi essent. Om-
„nes autem in turpissimis vivunt & certa-
„men inter se pravitatis suscipere viden-
„tur , &c. Hæc & huiusmodi designantes
„confitentur & ostendunt Deos suos hoc
„genere vitæ usos fuisse : ex Jove enim stu-
„pra puerorum & adulteria , ex Venere me-

PRÆLOQUIUM.

retricatum, ex Rhea obscœnitatem, ex,
 Marte cædes, ex aliis alia hujusmodi didi-
 cerunt, quæ quidem ut à legibus vindi-
 cantur, ita quicumque purus & integer est,
 averfatur. An igitur Dii habendi sunt,
 qui talia faciunt, ac non potius eos dicas,
 ob morum obscœnitatem brutis magis ob-
 brutuisse? an non qui eos pro Numinibus,
 colunt, ut quovis pecore magis pecuini mi-
 seratione digni sunt? Hactenus Alexandri-
 nus Antistes, qui & ipsa flagitia addit pro
 Numinibus habita & divino cultu honorata:
 „ Alii (inquiens) adhuc magis sceleratam,
 superstitionem amplificantes ex vitiis suis,
 occasione sumptâ libidinem & cupidinem,
 indigitantes adoraverunt, qualis est apud,
 eos Amor, & in Papho Venus. „ Quid tan-
 tum mali Castitas, (cum Sarcasmo ex-
 probrat Augustinus) aut quid tantum bo-
 ni Voluptas commeruit, ut inter Astra,
 quæ cum Sole & Luna circumeunt, Ve-
 nus habeat Stellam & Minerva non ha-
 beat?

Ibid.

*De Con-
 sensu
 Evangel.
 l. 1. c. 23.*

Et quamvis inter turpitudinum profluvia
 Virginitatis & Viduitatis Sacerdoria agno-
 scat Tertullianus, nec omnino velit de con-
 tinentia impudicitiam triumphasse, ait
 enim: „ Romæ quidem, quæ ignis illius in-
 ex-

*L. 1. ad
 Uxorem.*

P R A E L O Q U I U M.

„extinguibilis imaginem tractant, auspi-
 „cia poenæ suæ cum ipso Dracone curantes,
 „de Virginitate censentur. Achææ Junoni
 „apud Ægium Oppidum Virgo sortitur, &
 „quæ Delphis insaniunt nubere nesciunt.
 „Cæterum Viduas Aphricanæ Cereri assi-
 „stere scimus durissimâ quadam oblivione
 „matrimonii adlectas, nam manentibus in
 „æternum viris non modò thoro decedunt
 „sed & alias, eis utique ridentibus, loco suo
 „insinuant, adempto omni contactu usque
 „ad osculum filiorum, & tamen durante
 „usu perseverant in tali Viduitatis discipli-
 „na quæ pietatis etiam sanctæ solatia exclu-
 „dit: hæc Diabolus præcipit & auditur...
 „Nam invenit quomodo homines etiam
 „bonis sectationibus perderet, & nihil
 „apud eum refert alios luxuriâ, alios con-
 „tinentiâ occidere. Quod & alibi re-
 „petit.

*In fine L.
de Mono-
gamia.*

Negat tamen D. Ambrosius vel umbrati-
 cam in eis castitatem viguisse: „Quis mihi,
 „(inquiens) prætendit Vestæ Virgines &
 „Palladis Sacerdotes? qualis ista est non
 „morum pudicitia sed annorum, quæ
 „non perpetuitate sed ætate præscribitur?
 „petulantior est talis integritas, cujus cor-
 „ruptela seniori servatur ætati: ipsi docent

*L. 1. de
Virg.*

PRÆLOQUIUM.

Virgines suas non debere perseverare nec,,
 posse, qui Virginitati finem dederunt.,
 Qualis autem est ista Religio, ubi pudicæ,,
 adolescentes jubentur esse impudicæ,,
 anus? Sed nec illa pudica est quæ Lege,,
 tenetur, & illa impudica quæ Legedimit-,,
 titur. O mysteria! O mores ubi necessi-,,
 tas imponitur castitati, autoritas libidi-,,
 ni datur! itaque nec casta est quæ metu,,
 cogitur, nec honesta quæ mercede con-,,
 ducitur, nec pudor ille qui intemperan-,,
 tium oculorum quotidiano expositus con-,,
 vitio flagitiosis aspectibus verberatur.,
 Conferuntur immunitates, offeruntur,,
 prætia, quasi non hoc maximum petulan-,,
 tiæ sit indicium castitatem vendere. Quod,,
 prætio promittitur, prætio adducitur &,,
 prætio remuneratur, nescit redimere ca-,,
 stitatem quæ vendere solet. Quid de Sa-,,
 cris Phrygiis loquar, in quibus impudici-,,
 tia disciplina est atque utinam sexus fragi-,,
 lioris? Quid de Orgiis Liberi, ubi Reli-,,
 gionis mysterium est incentivum libidi-,,
 nis? qualis igitur ibi potest vita esse Sacer-,,
 dotum, ubi colitur stuprum Deorum? non,,
 habent igitur sacram Virginem. Imò eo-
 dem Ambrosio teste ne haberent, pœnas
 statuere: *Illi, inquit, qui Deorum suorum*
adul-

*I. de Vi-
 dui.*

P R A E L O Q U I U M.

adulteria & probra venerantur, cœlibatus & viduitatis statuere pœnas, ut æmuli criminum mulctarent studia virtutum.

Cur autem in hisce immunditiis præcipuum imperii sui robur & quasi Thronum immundus Spiritus collocarit, & (ne quid dicam de *Theatris*, quæ caveas turpitudinum & publicas professiones flagitiosorum Augustinus, Tertullianus autem stuprandis moribus exorientia inscribit) eum supra Deos omnes sublimaverit, de quo ex S. Epiphanio periculum erat ne omnium mulierum vir fieret, ratio manifesta declarat: tum quod illæ, quæ est D. Ambrosii censura, reliquorum vitiorum educatrices sint: tum vel maximè, quòd suavissimæ illecebræ, & ferrea retinacula existant, quibus carnales homines (quorum maxima turba est) alligantur, capiantur, illaqueentur, sive, quam allegat Scriptura, quòd cor auferant: etiam Hebræos (licet notus in *Judæa Deus & in Israël magnum nomen ejus*) frequenti apostasiâ ad nefanda Gentilium Sacra sola hæc admixta voluptatum esca invitavit prostravitque.

Veniens in hunc mundum Dei filius, tum ut captivos in libertatem assereret, tum ut dissolveret opera Diaboli, eumque profli-
garet,

de Conf.

Evang.

c. 33.

Apolog.

c. 6.

L. Anco-

ratus.

Orat. in

Obitu Sa-

tyri.

osca 4:

11.

ps. 75: 2.

Joan.

3: 8.

P R A E L O Q U I U M.

garet, diabolicis spurcitiis in Ecclesiæ suæ Regno opposuit pudicitiam & continentiam, sive, ut eam vocat Apostolus, *Sanctimoniam* & *sanctificationem*, quæ inibi, ut illæ olim sub Diaboli imperio, summo studio coleretur solaque, proscripto etiam vel lasciviente oculo, autoritate plenâ dominaretur. „ Hæc est enim voluntas Dei sanctificatione vestra, denuntiat Apostolus, ut „ abstineatis vos à fornicatione, ut sciat „ unusquisque vestrûm vas suum possidere „ in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut & Gentes quæ ignorant Deum : non enim vocavit nos Deus „ in immunditiam, sed in sanctificationem. „ Nobis Continentia adstrumentum æternitatis demonstrata est, ait Tertullianus, à „ Domino salutis Deo ad Testimonium fidei, ad commendationem carnis istius exhibendæ superventuro indumento incorruptibilitatis, ad sustinendam novissimè voluntatem Dei. Qua de causa Christianos *non aliunde noscibiles quàm de emendatione vitiorum pristinorum*, scribit idem Tertullianus, monetque Ecclesiæ & Apostolorum Princeps : „ Christo igitur passio in carne, & voseadem cogitatione armamini : quia, „ qui passus est in carne, desit à peccatis, ut „ jam

Heb. 12:

14.

1 Thess. 4:

3, 4, & 7.

Matth. 5:

28.

1 Thess. 4:

3, 4, & 7.

L. 1. ad

Uxorem.

L. ad Scapulam.

1 Epist. 4:

1-4.

P R A E L O Q U I U M.

„jam non desiderii hominum sed volunta-
 „ti Dei, quod reliquum est, in carne vivat
 „temporis. Sufficit enim præteritum tem-
 „pus ad voluntatem Gentium consumman-
 „dam his, qui ambulaverunt in luxuriis, de-
 „sideriis, vinolentiis, comeffationibus, po-
 „tationibus, & illicitis idolorum cultibus:
 „*In quo admirantur non concurrentibus vo-*
 „*bis in eandem luxuriæ confusionem blasphe-*
 „*mantes*: ut enim testis est S. Athanasius
 impossibilis censebatur Continentia, adeò
 latè per omnium medullas sub dæmonis
 tyrannide grassabatur flamma libidinis: „ Et
 „prorsus nullam (ait de illis) fidem Virgi-
 „nitati habentes & impossibile esse dicti-
 „tantes eam virtutem in hominibus reperi-
 „ri, iidem, ubi jam credidere Salvatori ex
 „Virgine nato, non solùm eam in aliis esse
 „agnoscunt, sed ipsi eam pudicitia & san-
 „ctitate corporis præstant, & vicissim ab
 „Ethnicis ipsos jam tales esse factos credi
 „non potest. Utpote ignorantibus refri-
 gerantem divinæ gratiæ rorem.

*De Passio-
 ne & Cru-
 ce Domini.*

Ea triplex est: infima *Conjugalis*, quæ li-
 cito usu conjugii retento omnes illicitas &
 vetitas voluptates respuit atque contemnit;
 sub qua illi censentur, quibus uxor aut ma-
 ritus non est quia habere non possunt, vel
 qui

P R A E L O Q U I U M.

qui nuptias ambiunt, aut etiamnum sperant
& cum patientia præstolantur : media *Vi-*
dualis, quæ post expertas conjugii delicias
rebus Venereis perpetuò abstinet : ad quam
reducitur illorum Castitas, qui postquam
animæ & corporis integritatem illicitè per-
diderunt, de cætero ad Dominum ex toto
corde conversi carnis spurcicias refutarunt :
prima denique *Virginalis*, quæ nunquam nec
licitè nec illicitè Venereas voluptates ex-
perta corpus & mentem pura illibataque
conservat, & hæc, quatenus ante & extra
Monasteriorum Septa à Virginibus olim ex-
cultæ & modò ab iisdem hîc inter hæreses
apud eorumdem ruinas sit excolenda, erit
præsentis Tractatus Objectum, de quibus ad
in Apolo- Imperatorem Constantium D. Athanasius:
gia. Dei filius Dominus & Salvator noster,,
Jesús Christus homo propter nos factus,,
profligata morte & asserto à servitute &,,
corruptione humano genere, inter cæ-,,
tera dona sua largitus est nobis in Virgi-,,
nitate exemplar angelicæ sanctitatis : cer-,,
tè Puellas ea virtute præditas sponfas,,
Christi Catholica Ecclesia appellare solita,,
est, quas Ethnici conspectas ut Templum,,
Verbi admiratione prosequuntur : nus-,,
quam enim alibi sanctum illud & cæleste,,
æter-

P R Æ L O Q U I U M.

„æternæ Virginitatis mandatum feliciter
 „adimpletur, nisi duntaxat apud nos Chri-
 „stianos atque in eo magnum documentum
 „est, planè apud nos esse veram Religio-
 „nem. Has præ reliquis omnibus beatæ
 „memoriæ religiosissimus pater tuus Con-
 „stantinus Augustus in prætio habuit, &
 „tua Religiositas sæpius eas in suis scriptis
 „præciosas & sanctas nominavit. Easque,
 „cùm illas immunitates suas Ethnici repe-
 „rent, Vestalibus opposuit D. Ambrosius:
 „Habeant, inquit, Vestales Virgines in-
 „munitatem suam: dicant hoc, qui nesciunt
 „credere quod posset esse gratuita Virgini-
 „tas: provocent lucris qui diffidunt virtuti-
 „bus. Quot tamen illis Virgines præmia
 „promissa fecerunt? vix septem Vestales ca-
 „piuntur puellæ: en totus numerus quem
 „Insulæ vittati capitis, purpuratarum vesti-
 „um murices, pompa lecticæ ministrorum
 „circumfusa comitatu, privilegia maxima,
 „lucra ingentia, præscripta denique pud-
 „icitæ tempora coëgerunt. Attollant men-
 „tis & corporis oculos, videant plebem pu-
 „doris, populum integritatis, concilium
 „Virginitatis, non Vittæ capiti decus sed
 „ignobile velamen usui nobile castitatis,
 „non exquisita sed abdicata lenocinia pul-
 „chri-

L. 5. Epist.
31.

P R A E L O Q U I U M.

chritudinis, non illa purpurarum insignia, non
luxus deliciarum, sed usus jejuni-
rum, non privilegia, non lucra, omnia
postremo talia, ut revocari studia putes
dum exercentur officia: sed dum exerce-
tur officium studium provocatur, suis ca-
stitas cumulatur dispendiis: non est Virgi-
nitas quæ prætio emitur non virtutis stu-
dio possidetur: non est integritas quæcun-
que tanquam in auctione nummario ad
tempus sollicitatur compendio. Prima
Castitatis victoria est facultatum cupidi-
tates vincere, quia lucri studium tenta-
mentum pudoris est. Ponamus tamen
subsidia largitatum conferenda Virgini-
bus, quæ Christianis munera redunda-
bunt, quod tantas opes sufficiet ærarium?
aut si arbitrantur solis Vestalibus confe-
rendum, non pudet, ut qui totum sibi sub
Imperatoribus Gentilibus vindicarunt,
iidem sub Principibus Christianis non pu-
tent nobis sortem debere esse commu-
nem?

Non tamen ita Virgineam Castitatem
instruimus ut Vidualem negligamus, sed ob
materiæ & personarum cognationem, ubi
occasio sese obtulerit, virgini viduam asso-
ciamus, tanquam quæ huic *exitu conjuncta*
prin-

s. chrysost.
L. de Virg.
c. 38.

P R A E L O Q U I U M.

principio solum superat : ut enim observat *Epist. 2 ad Gallam. c. 15.*
 „ S. Fulgentius : „ Quia Sanctimoniam Vir-
 „ ginalem Vidualis continentia gradu infe-
 „ riore subsequitur, idcirco, post quam de
 „ virgine natus est Filius Dei, Vidualis lin-
 „ guæ dignatus est officio prædicari : nec
 „ tamen de illo locuta est Vidua deliciis
 „ dedita (quæ vivens mortua) sed quæ
 „ non discedebat de Templo jejuniis & ob-
 „ secrationibus serviens die ac nocte.

Scalam autem *Jacob* inscribimus, quia *Serp. 10: 10.*
 quod huic ob iram fratris profugo ad sola-
 tium ostendit Dominus, visum est nobis
 thema fecundum & argumentum utile
 (quo & D. Hieronimus subinde utitur in *Epist. 10. ad Furiā. 13. ad Paulin. 22. ad Eustoch. 34. ad Julian. & alibi.*
 hac materia) ad explicandam Virginitatis
 naturam & officia, quod an assecuti fueri-
 mus Lectoris judicio deferimus.

Operi Patronum non adlegimus, quia
 cum minimè necessarium judicavimus, cum
 tot habeat numero, quot in eo sanctos Pa-
 tres allegavimus : non enim Virgines insti-
 tuendas, sed SS. PP. Institutiones ex ipso-
 rum monumentis erutas sum aggressus, nec
 Doctoris præstiti eruditionem sed Discipu-
 li fidem : ut quemadmodum corpora opaca
 & lucis expertia, si à Sole collustrentur, ful-
 gorem acceptum reddunt forasque resper-
 gunt,

P R Æ L O Q U I U M.

gunt, ita ego lucem aliis refudi non à me depromptam, sed à splendidissimis Ecclesiæ Doctõribus haustam, quorum Deus mentes, ut terris omnibus ac seculis longè latè- que collucerent, æternis ignibus accendit. Quòd si eorum mentem ac sensum minùs

*Epist. S. ad
Demetr.*

Epist. 50.

Epist. 132

ad Floren-

tinam Vir-

ginem.

penetrarim, cum S. Hieronymo (qui ingenium suum in hujuscemodi materiis sæpè detritum contestatur) *reprehensores non audio, sequor Magistros: hoc enim feci* (loquor cum S. Augustino) *non Doctõr perfectus, sed cum docendis perficiendus.*

Patriâ denique linguâ, quas alloquitur & informat, Virginibus debebatur hoc Scriptum: verùm cùm eam provinciam summa cum laude obierit *Valentinus Biscopius, Joannes Fredericus Lumnus*, noster *Joannes Heurnius* fusissimè in suis *Sionitis*, & alii, voluit (quod imperii loco duxi) *Amplissimi Viri J. P. & Illustrissimi Castoriensis consilium*, ut, quo ad meam privatam instructionem & sine ullo ad prælum respectu annotâram stylo, in lucem prodiret: tum (& hæc erat consiliatio) ut in nativo sermone audirentur Virginum Magistri, nec quicquam Sententiarum venustati gravitæque detraheret in alienum idioma translatio: tum vel maximè

P R Æ L O Q U I U M.

mè cùm omnia Virginum propria sint, nec aliunde assuta, sed quasi domi nata, & quæ de hac materia (quos omnium Bibliothecæ hospitari non possunt, sunt enim quamplures etiamnum *instabiles* cum Apostolo) ^{1 Cor. 4: 11.} in Sanctorum Patrum Voluminibus dispersa habentur, cognata omnia quasque similia in capita quædam veluti in suam quodq; tribum (quod nemo tentarat hactenus) descripserimus, ut *Confratribus*, quibus sæpius & in Virginum consecratione, & ad earumdem instructionem habenda Exhortatio, pro *Locis Communibus* & *Promptuario Virginali* deserviret. Speramus autem nihil fore omissum, quod propriè eam ad rem faciat, etiamsi plenâ manu, ut dicitur, propositum necdum assecuti simus: neque ignoratio hæc nos subit aut philautia blanditur, quin plura potioraque à politioribus calamis & majoris experientiæ Viris, qui in Virginum regimine atque institutione ætatem & ingenium detrivère, tanquam ex uberiori Amalthææ cornu effundi possint.



I N D E X
C A P I T U M,
&
P A R A G R A P H O R U M.

C A P U T I.

De Scala ejusque circumstantiis.

Quo Virginitatis natura & proprietates exponuntur.

§. 1. *De Scala stante.* pag. 1.

Quo Virginitatis natales & incrementa proponuntur.

§. 2. *De Scala stante super terram.* 7.

Quo probatur licitam Virginibus in seculo perpetuam
Continetiam, &
Earum Vitam verè esse statum. 12.

§. 3. *De cacumine Scalæ Cælum tangente.* 20.

Quo ostenditur Virginitatis præ Conjugio excellentia.

§. 4. *De Domino Scalæ innixo.* 25.

Quo declaratur ejusdem prærogativa.

§. 5. *De Angelis in Scala.* 29.

Quo docetur Angelorum cura pro Virginibus, Virginita-

nitatem Angelicam esse virtutem & pag. 30.
Angelos Virginibus imitandos. 33.

§. 6. *De Angelis in Scala Ascendentibus.* 35.
Quo agitur de recipiendis in Virginum numerum, & de
earumdem Profectu. 40.

§. 7. *De Angelis descendentes.* 45.
Quo probatur Virgini necessaria Mortificatio, agitur de
ejusdem Apostasia & 50.
Quibus viis ad eam devolvatur. 64.

§. 8. *De Jacob evigilante visa hac scala.* 69.
Quo Virgini commendatur Zelus animarum.

§. 9. *De Jacob admirabundo visa Scala.* 73.
Quo monetur Virgo ut sit exemplaris.

C A P U T I I.

De Ascensu & Descensu quotidiano,

sive

De quotidianis Virginis Exercitiis.

§. 1. *De expergefactione.* 79.

§. 2. *De surrectione.* 83.

§. 3. *De Vestitu.* 88.

§. 4. *De Oratione Matutina.* 98.

§. 5. *De meditatione.* 103.

Pars I. de quidditate Meditationis. 105.

Pars

Pars 2. de praequisitis ad Meditationem.
pag. 108.

Pars 3. de observandis sub Meditatione. 113

*Pars 4. de mentis evagatione & ariditate
cordis.* 118

Pars 5. de agendis post Meditationem.
123.

Pars 6. de utilitate Meditationis. 128.

Pars 7. de Necessitate Meditationis. 134.

§. 6. De Missa.

Pars 1. de Sacro quotidie audiendo. 141.

Pars 2. quomodo audienda Missa. 145.

Pars 3. de exercitiis sub Missa. 151.

§. 7. De Virgine Maria Virginum Patrona. 157.

§. 8. De Horis B. M. V. 163.

§. 9. De Rosario. 168.

§. 10. De Opere Manuario. 175.

§. 11. De Libro spirituali. 186.

§. 12. De Solitudine. 192.

§. 13. De Societate Virginis. 198.

§. 14. De Colloquiis Spiritualibus. 202.

§. 15. De Custodia Castitatis. 218.

§. 16. De subsidiis Castitatis. 225.

§. 17.

§. 17. De Refectione corporis. pag. 233.

§. 18. De Examine Conscientiae & Oratione
vespertina. 238.

§. 19. De Somno. 243.

C A P U T I I I.

De Ascensu & Descensu hebdomadario.

§. 1. De Patre Spirituali. 249.

§. 2. Qualiter erga Patrem Spiritualem se habeat Filia devota. 257.

§. 3. De Regula. 267.

§. 4. De Confessione. 271.

§. 5. De Sacra Communionem. 282.

Pars 1. de necessaria prævia dispositione
ad Sacram Communionem. 288.

Pars 2. de agendis post Sacram Communionem. 294.

§. 6. De audienda Concione. 300.

C A P U T I V.

De Ascensu Menstruo.

§. Unicus de suffragiis mensuris. 308.

CAP.

CAPUT V.
De Ascensu Annuo.

- §. 1. De Anniversario Consecrationis die celebrando. 314.
§. 2. De Zelo pro Virginum augmento. 323.
§. 3. De Adolescentulis. 331.
§. 4. De Recollectione Annua. 339.

EPILOGUS. 345.



SCALA



SCALA JACOB.

CAPUT I.

De Scala ejusque circumstantiis.

Vidit in somnis (Jacob) Scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens coelum : Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum Scalæ: cumque evigilasset Jacob de somno ait: Verè Dominus est in loco isto & ego nesciebam, pavensque, quàm terribilis est locus iste, inquit, non est hîc aliud nisi domus Dei, & Porta Coeli. *Gen. 28. c.*

§. I.

De Scala stante.



Uppositâ notione Scalæ, ejusdem Circumstantias consideranti, prima est, quæ occurrit quod stet : *Vidit Scalam stantem super terram & cacumen illius tan-* *Gen. 28. 12.*

A

gens

L. 4. Or-
thod. Fid.
c. 25.

Epist. ad
Eustoch.
c. 13.

Gen. 1: 28.
& alibi.

Hieron. l. 1.
advers. Jo-
vin. c. 9.

Joan. 8: 29.

Matth. 19:
12.

Amos 9: 6.

Apoc. 14: 4.

gens Cælum. Pro cuius intelligentia notandum, fabricatam quidem hanc Scalam mysticam in initio mundi, sunt enim Virgines creati protoparentes nostri: *Illi Virginitatis soboles*, inquit S. Johannes Damascenus, *ac non Matrimonii signum extiterunt.* *Eva in Paradiso Virgo fuit, post pelliceas tunicas initium sumpsit Nuptiarum: tua Regio Paradisus est, serva quod nata es*, clamat proinde D. Hieronymus. At in terram depositam tantisper, usquequod hæc, quæ vacua erat & inanis, habitatoribus compleretur, ideò dictum: *Crescite & multiplicamini & replete terram.* Silvam namque necesse prius plantari & crescere ut postmodum inde ligna succidantur. At in hunc mundum veniens Dei Filius ex Virgine matre natus eam erexit super terram: adeoque ab ejus adventu, quæ antea quasi jacebat, *stetit & stat super terram*: ut, quemadmodum olim Conjugium, teste S. Gregorio Nazianzeno, institutum fuit ad terræ decorationem, sic amodò Virginitas ad cæli gloriam subsequatur. Neque erexit solum, sed & ipsemet, qui, quæ placita sunt Patri suo cœlesti, protestatur se semper facere, eadem hac Scalâ ad eum rediit, suumque exemplum, quod jam verbis fecerat: *qui potest capere capiat*, imitandum proposuit: quem proinde Propheta dixit ædificare in cœlo ascensionem suam, quâ & ipse, & post eum animæ perfectionis cupidæ in cœleste domicilium ascenderent, eique præ aliis Beatis in æternum indivulsè adhærescerent: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt, hi sequun-*

sequuntur Agnum quocunque ierit, cantantque canticum reliquis incantabile.

Eam Apostoli propalarunt, five, ut habet S. *Hom. 1. in Matth.*
 Chrysostomus, *universum orbem Virginitatis plantatione complerunt*: & eos inter D. Paulus, aliique Sancti *1 Cor. 7.*
 Patres omnes ad unum usque pluribus rationibus ascendendam consuluerunt; & eo quidem effectu, ut, teste D. Augustino contra Faustum, hic ei Hæreticus objecerit propemodum plures esse in Ecclesia Virgines quàm Conjuges, plures consecrari Deo quàm copulari matrimonio. „ Posteaquam Dominus in corpus hoc veniens contubernium Divinitatis & corporis sine ulla concretæ confusione labe sociavit, tunc toto orbe diffusus corporibus humanis vitæ cœlestis usus inolevit: habemus ergò plenitudinem professionis à Christo notat D. Ambrosius: qui & pro se contra hujus professionis æmulos coactus est Apologiam scribere: *L. 1. de Virg.*

„ Me ipsum, inquit, defensatum venio: criminis *L. 3. de Virg.*
 „ autem invidia hæc est; quia suadeo castitatem.
 „ Qui hoc non libenter accipit, ipse se prodit. Virginitatem, inquit, doces & persuades plurimis.
 „ Utinam convincerer! Utinam tanti criminis probaretur effectus! non vererer invidiam, si efficaciam recognoscerem. Atque utinam me exemplis potius argueretis, quàm sermonibus cæderetis! Sed vereor ne prævaricatores mihi opposuisse videar, qui me alienis commendent laudibus. Initiatas, inquit, sacris mysteriis & consecratas integritati puellas nubere prohibes. Utinam potuissem revocare nupturas! Utinam possem

„sem flammeum nuptiale pio integritatis velamine
 „mutare! An indignum videtur ut sacratæ Virgi-
 „nes à sacrosanctis Altaribus non abducantur ad
 „nuptias? & quibus licet Sponsum eligere, non
 „licet Deum præferre? In me ergo facti conditio
 „mutatur, ut pro opprobrio mihi cedat quod
 „semper spectavit ad gratiam Sacerdotum jacere
 „femina integritatis & Virginitatis studia provo-
 „care? Quæro enim utrum quasi improbum
 „hoc, an quasi novum, an quasi inutile repre-
 „hendatur? Si quasi improbum, improba ergo
 „vota sunt omnium, improba vita est Angelorum,
Matth. 21: „quam gratia resurrectionis imitatur: qui enim
30. „non nubunt neque nubentur, erunt sicut Ange-
 „li in cœlo: qui hoc utique reprehendit, resurre-
 „ctionis vota condemnat. Itaque improbum vi-
 „deri non potest quod hominibus pro præmio
 „constitutum est: nec potest ejus rei species displicere,
 „cujus veritas & in fructu est & in voto. Sed
 „esto non sit improbum, numquid novum est?
 „Nos enim nova omnia quæ Christus non docuit
 „jure damnamus, quia Fidelibus Via Christus est.
 „Si igitur Christus non docuit quod docemus,
 „etiam nos id detestabile judicamus. Discutiamus
 „ergo utrum Christus integritatem docuerit, an
Matth. 19: „repudiandam putaverit. Et sunt, inquit, Spado-
12. „nes, qui seipsos castraverunt propter Regnum
 „cœlorum. Est ergo præclara militia quæ Regno
 „cœlorum militat. Itaque jam tunc Dominus do-
 „cuit esse debere intemerata studia castitatis, &c.
 „nec improbum igitur nec novum integritatis est
 „stu-

„studium. Videamus ne fortè inutile judicetur.
„Nonnullos enim dixisse audiui quod periit mun-
„dus, defecit genus hominum, Conjugia labefa-
„ctata sunt. Quæro quis tandem quæsiuit uxore
„rem qui non invenerit? Quando fuerint bella
„pro Virgine? Quis unquam pro Virgine sit per-
„emptus? de Conjugiis autem ista nascuntur, ut
„perimatur adulter uxoris, raptor præliis appetatur:
„ista Reip. semper damno fuerunt. Pro Virgine
„sacra nemo damnatus est, quia castitatem
„non pœna cohibet, sed religio auget, fidesque
„conservat. Si quis igitur putat consecratione Vir-
„ginum minui genus humanum consideret, quia,
„ubi paucæ Virgines, ibi etiam pauciores homines:
„ubi Virginitatis studia crebriora ibi numerum
„quoque hominum esse majorem. Discite quan-
„tas Alexandrina totiusque Orientis & Africana
„Ecclesia quotannis sacrare consueverint: paucio-
„res hîc homines prodeunt quàm illic Virgines
„consecrantur. Ex ipsius igitur orbis terrarum usu
„non inutilis Virginitas existimatur, præsertim
„cùm per Virginem salus venerit orbem fœcunda-
„tura Romanum. Quod si quis hoc prohibet, pro-
„hibeat igitur pudicas uxores degere, quia frequen-
„tius possunt parere incontinentes. Nulla pere-
„grinanti marito fidem servet ne damnum faciat
„prolis futuræ & partus frequentioris amittat æta-
„tem. Sed difficilior fit via adolescentibus ad nu-
„ptias impetrandas: quid si fortè commodior?
„quæro enim cum his aliquem habere tractatum,
„qui arcendæ Virginitatis sententiam gerunt. Itaq;
„qui

1 Cor. 7.

„ qui sunt isti discutere debemus, utrum qui uxo-
 „ res habent an qui non habent. Si qui habent, ti-
 „ mere non debent, uxores eorum jam Virgines
 „ esse non possunt. Si qui non habent, non sibi in-
 „ juriam faciant, quòd ejus tantum nuptias sperave-
 „ rint, quæ nuptura non esset. An fortasse patres
 „ pro filiarum conjunctione solliciti molestè fe-
 „ runt Virgines consecrari? nec hi, quod verean-
 „ tur, habent, si sequantur consilium: inter paucas
 „ suæ citius eligentur. Ajunt etiam plerique matu-
 „ rioris ætatis Virgines esse velandas: neque ego
 „ abnuo Sacerdotalis esse cautionis debere, ut non
 „ temerè puella veletur. Spectet planè, spectet æ-
 „ tatem Sacerdos, sed fidei vel pudoris. Spectet
 „ & maturitatem verecundiæ, examinet gravitatis
 „ canitiem, morum senectam, pudicitia annos, ani-
 „ mos castitatis: tamen deinde si matris tuta custo-
 „ dia, comitum sobria sedulitas, si hæc præstò sunt,
 „ non deest Virgini longæva canities: si hæc de-
 „ sunt, differatur puella moribus potius quàm an-
 „ nis: non ergo ætas rejicitur florentior, sed ani-
 „ mus examinatur. At certè Theclam non se-
 „ nectus sed virtus probavit. Et hinc quid plura
 „ contexam, cùm omnis ætas habilis Deo, perfecta
 „ sit Christo? Denique non virtutem ætatis ap-
 „ pendicem dicimus sed virtutis ætatem. Quod
 „ ibidem Sanctus Antistes pluribus prosequitur.

Venit autem ad vos ô Virgines sermo noster,
 ad vos inquam, quæ per mysticam hanc Scalam
 ascendendo Salvatoris vestri exemplum vos præ-
 euntis & tot millium Præcedaneorum subsequimini:
 ni:

ni: vos inquam eâ gratiâ dignatæ quam illa suspirabat in Canticis: *Trabe me, post te curremus in odorem* e. i. vers. 3. *unguentorum tuorum.* Quarum quælibet securè potest Christo dicere sibi que ab eodem polliceri: *No-* Psal. 133: 11. *tas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.* Tantùm, quo S. Cyprianus Tractatum suum *de Disciplina & Habitu Virginum* concludit, *Durate fortiter, spiritualiter pergite, pervenite feliciter.*

§. II.

De Scala stante super terram.

E Adem quæ ante annos circiter quadraginta haud ita pridem resuscitata est Quæstio, sitne Vita Virginum Deo cum proposito continentiae famulantium in seculo licita & verè Status: negarunt olim & etiamnum negant aliqui, quorum solenne: *Aut Maritus aut Murus: aut in Conjugio aut in Cœnobio.* Alii è contra asseruerunt & asserunt hodie dum oppositis eruditissimis Apologiis, quos inter Leo Hubertinus, Valentinus Biscopius & Hermannus Busenbaum cujus Libello titulus *Lilium inter Spinas:* Ea controversia hîc nunc enodanda, & quia bimembris, duplici responsione dissolvenda, quæ erit ulterior *Scalæ stantis & stantis super terram* consideratio.

Ad PRIOREM ejus PARTEM respondeo non modò Rationi reluctari hujus Vitæ Æmulos, sed & Scripturæ ac Patribus, quos ab eis nun-

quam lectos ausim asseverare. Rationi quidem: quot namque Virgines parentibus decrepitis, indigis vel infirmis omnino necessariæ vel ad ministerium vel ad solatium, quæ si ad Conjugium non afficiantur, quis negabit eas licitè etiam in seculo sese divino servitio mancipare? Quot ob dotis defectum (quæ, quò largior, eò gratior) à Monasteriis excluduntur, quas si non delectet vagitus infantium & amplissimum connubii Claustrum, in quo quamplurimæ sorores afflictæ, quis improbit quòd cum proposito continentiae in seculo famulatui divino sese devoveant? Quot rigori monastico ferendo impares? Quot diversis infirmitatibus obnoxiae, quas, cùm Nosocomia non sint, non admittent Coenobia: quis hisce invidet, si quomodo possunt sub suorum Superiorum directione Deo deserviant: hisce duabus posterioribus Rationibus, quia plures à Monasteriis repelli videbat, motus S. Franciscus Salesius sub Regula D. Aug. & Titulo Visitationis B. Mariæ, novum Ordinem instituit, in quem, ut ad Evangelicas Nuptias, cujuscunque conditionis etiam vetulæ & infirmæ reciperentur: *ut quemadmodum debiles fructu sanitatis robustarum, ita robustæ reciprocè merito patientiæ debiliū fruerentur*, habent ejusdem Constitutiones. Denique, ut rationes alias omittam, Deo gratius est magisque apud eum meritorium præsertim in hisce Provinciis ad earum Virginum exemplar, quas circumduxisse Apostolos meminit Scriptura, in seculo famulari Altissimo, & Sacerdotum, Amicorum ac Proximi necessitatibus suâ operâ, instru-

I Cor. 9: 5.

structionibus vel subsidiis succurrere, quàm alibi in Partheneis delitescere, maximè cum ea continentia nullum ampliorem valorem aut excellentiam suppeditent, sed solùm majorem custodiam, quæ eorum prope prima scaturigo: adeoque non licita modò est vita vestra sed & CASTITATIS vos estis FILIÆ PRIMOGENTIÆ, illæ inquam ^{1 Cor. 7.} ^{Matth. 19:} ^{12.} quas eidem suscitare intendit Apostolus, quas laudat Virginum Sponsus, quibusque instituendis Basilii, Gregorius Nazianzenus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & plerique alii Ecclesiæ Magistri suos calamos & industriam consecrarunt.

Errant ergo qui in solo concluso Monastices Horto erectam hanc mysticam Scalam prætendunt, quæ visa est *stans super terram*: audite solatium S. Augustini ne vos Claustralibus inferiores arbitramini: „ Ubi ponimus, is inquit, quòd multi & ^{De sancta Virgin.} ^{c. 35.} „ multæ ita custodiunt continentiam Virginalem, „ ut tamen non faciant quod Dominus ait: Si vis „ esse perfectus, vade & vende omnia quæ habes, „ & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, „ & veni sequere me: nec audeant eorum cohabitationi sociari, in quibus nemo dicit sibi aliquid „ proprium, sed sunt eis omnia communia: nihil „ ne putamus fructificationis accedere Virginibus „ Dei cum hoc faciunt? aut sine fructu esse Virgines Dei etiam si hoc non faciunt? Multa ergo sunt „ dona, & alia aliis majora ac superiora singulis singula. Et aliquando alter fructuosus est donis paucioribus sed potioribus, alter inferioribus sed pluribus:

Hom. 43.
in Gen.

ribus: & quemadmodum inter se vel coæquen-
tur vel distinguantur in accipiendis æternis ho-
noribus quis hominum audeat judicare? Hæc
Augustinus, unde, ut & ego meum suspendam ju-
diciū, sicut Moniales vobis non præfero, ita nec
vos iisdem inferiores assero, *neque enim locus nos vir-
tute facit præditos juxta monitum D. Chrysostomi,
sed mens & mores.*

L. 2. de
Virginit.

Exhilarer vos D. Ambrosii de vobis scribentis
sententia, qui, postquam vestram Patronam ac
Prototypon dixisset Beatissimam Virginem Ma-
riam, ocius subjungit: „O quantis illa Virgini-
bus occurret! quantas complexa ad Dominum
trahet, dicens: Hæc thorum Filii mei, hæc tha-
lamos nuptiales immaculato servavit pudore:
quemadmodum ipse Dominus commendabit Pa-
tri nimirum illud & repetens suum: Pater sancte
istæ sunt quas servavi, in quibus Filius hominis
caput reclinans quievit, peto ut ubi ego sum &
ipsæ sint mecum. Quæ pompa illa! quæ gra-
tia! quanta Angelorum lætitia, quòd habitare
mereatur Virgo in cœlo quæ cœlestem vitam vi-
xit in seculo. Animet vos D. Hieronymi Allo-

Epist. 22.
c. 17.

quium: „Qualiserit illa dies, cùm tibi Maria ma-
ter Domini choris occurret comitata Virgineis!
cùm post rubrum mare submerso cum suo exer-
citu Pharaone tympanum tenens præcinet re-
sponsuris: Cantemus Domino, gloriosè enim
honorificatus est, equum & ascensorem projecit
in mare. Tunc Thecla in tuos læta volabit am-
plexus. Tunc & ipse Sponsus occurret & dicet:

„Sur-

„ Surge, veni proxima mea, speciosa mea, columba
 „ mea, quia ecce hyems transivit, pluvia abiit tibi.
 „ Tunc Angeli mirabuntur & dicent: quæ est ista
 „ prospiciens quasi diluculum, speciosa ut Luna,
 „ electa ut Sol? Videbunt te Filiæ, & laudabunt
 „ Regina & Concupinæ prædicabunt. Hinc &
 „ alius castitatis chorus occurret. Sara cum Nuptis
 „ veniet, Filia Phanuelis Anna cum Viduis: erunt
 „ in diversis gregibus carnis & spiritus matres tuæ,
 „ lætabitur illa quod genuit, exultabit ista quod
 „ docuit.

Agnosco quidem Virginitatem corporis intra
 Monasteriorum septa tutiorem (utpote intra pro-
 pugnacula sua, quo fundamento nostri adversa-
 rii decipiuntur) quàm in seculo : at pudicitiam
 mentis utrobique æquè periclitari assevero, & ut
 nec Eva in Paradiso tuta, nec Susanna in clauso
 etiam Pomario, ita nec in concluso Religionis
 Horto Virgo professa: unicus ejus custos Timor
 Domini, hoc in seculo eodem & in Asceterio se-
 se communiat, quæcunque integram velit suam
 continentiam: non repugnando seu opponendo se
 tentationibus; sed fugiendo juxta Apostoli præ-
 scriptum cum de hac materia mentionem facit, 1 Cor. 6: 12.
 namque

Parit hæc Fuga Lauros.

Ut autem ex D. Chrysostomo Castitas fugere pos-
 sit indemnis aliarum virtutum societate stipata sit
 necesse est, aliàs sine earum ope & fulcro, ex sensu
 D. Bernardi, facilè lapsura. „ Nec amittitur Virgi-
 „ nitas corporis nisi prius amissa fuerit Virginitas L. de Orat.
ne Vita.

„ men-

6. 4.

„ mentis: revera non potest caro corrumpi, nisi
 „ mens fuerit ante corrupta. Verba sunt Antistitis
 Mediolanensis ad Virginem Lapsam, ideóque ait
 ad eam: „ Aut enim ex corde tuo verba mea volu-
 „ cres, id est Dæmones, rapuerunt, aut malis tuis
 „ cogitationibus suffocata sunt, aut aruerunt nimio
 „ æstu libidinis. Hæc si quis impediatur aut præca-
 veat in periculis sine periculo erit.

De Discip.
 & Habitu
 Virgin.

Itaque ô Virgines S. Cypriano dictæ: „ Flos
 „ Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum
 „ gratiæ spiritualis, laudis & honoris opus integrum
 „ atque incorruptum, Dei imago respondens ad
 „ sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis
 „ Christiani: moneo cum eo, quocum & conclu-
 do: „ Ut quæ se Christo dicaverint, & à carnali con-
 „ cupiscentia recedentes tam carne quàm mente se
 „ Deo voverint, consumment opus suum magno
 „ præmio destinatum.

2. 2. 9. 183.
 6. 1.

POSTERIORI Controversiæ PARTI at-
 tequam satisfaciamus, Theologorum Oraculum
 Thomas de Aquino prius adeundus, & ab eo in-
 quirendum quidnam sit Status: quem docet esse
 certum modum vivendi quasi cum immobilitate:
 quo supposito, quod & recipitur ab omnibus, di-
 co Virginum vitam, non minùs ac Matrimonialis
 & Religiosus, verè & propriè in Ecclesia olim fuisse
 & etiamnum esse statum, eo fundamento (ut
 multiplices aliorum rationes non allegem) quòd sit
 certus modus vivendi, nempe *cogitandi quæ Dei*
sunt quo sint sanctæ corpore & spiritu cum propo-
sito continentiae, idque immobiliter, quia non est
 liberum

liberum Virgini post sui consecrationem resilire :
 quod fundamentum tanquam indubitatum passim
 supponunt SS. PP. Virginum Nutritii, easque si
 à suo proposito deficiant & ad nuptias vel illicitas
 carnis voluptates proruant, tanquam Adulteras
 puniendas decernunt : quomodo loquitur D. Ba- *Epist. 1.
 Canonica
 Can. 18.*
 filius ad Amphilochem de Virginibus Lapsis, ubi,
 cum eas Christi Sponsas dixisset & sacra Vasa Do-
 mino dedicata, subnectit, magnum quidem pecca-
 tum esse si ancilla illicitis concubitibus vacet do-
 musque possessorem ignominiâ affecerit : „ Sed
 „ multò est gravius Sponsam fieri adulteram, &
 „ unione cum Sponso ignominiâ & dedecore affe-
 „ ctâ se incompetentibus voluptatibus tradere. Vi-
 „ dua itaque ut corrupta Ancilla condemnatur,
 „ Virgo verò Adulteræ judicio subjicitur : uti &
 „ Adulteri, qui talem sibi copulavit, quod alibi fu-
 sissimè idem Sanctus Antistes prosequitur : „ Non *L. de vere
 Virgin.*
 „ se fallat, is inquit, qui à Virginitatis curriculo ad
 „ carnis vitia deflexit : Conjugium quippe illi in
 „ peccatum reputabitur. Primùm quidem, quia
 „ pessimum hujus conjunctionis fundamentum
 „ voluptatem jecit prævaricationisque malum.
 „ Deinde quia causa non est libera, neque enim
 „ est mortuus vir ejus, ut, cui vult, nubat : vi-
 „ vente immortalis viro meritò censetur Adultera,
 „ quæ mortalem hominem ob carnis vitia Domini
 „ thalamis intulit. Idque ibidem inculcat sæpiùs.
 Quomodo & Pomponio ab eo consultus rescribit
 S. Cyprianus : „ Quòd si ex fide se Christo dica- *Epist. 62.*
 „ verunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseve-
 „ rent,

De Discip. & Hab. Virg.
 „rent, ita fortes & stabiles præmium Virginitatis
 „expectent.... Si superveniens maritus sponsam
 „suam jacentem cum altero videat, nonne indi-
 „gnatur & fremit? fortassis & gladium in manus
 „sumit? Quid? Christus Dominus & Judex no-
 „ster cum Virginem suam sibi dicatam & sanctita-
 „ti suæ destinatam jacere cum altero cernit, quàm
 „indignatur & irascitur! & quas poenas incestis
 „hisce conjunctionibus comminatur! Sic dum
 „ornari cultiùs, scribit alibi, dum liberiùs evagari
 „Virgines volunt, esse Virgines desinunt, furtivo
 „dedecore corruptæ, viduæ antequam nuptæ,
 „non mariti sed Christi adulteræ; quàm fuerant
 „præmiis ingentibus destinatæ, tam magna sup-
 „plicia pro amissa Virginitate sensuræ.

L. 1. de Virgin.
 Agnovêre id Majores vestræ & Præduces, tot
 inquam Virgines, quæ maluerunt vitam amittere
 quàm Virginitatem, quas Martyres honorat Ec-
 clesia: nonne talis B. Agnes? quæ etiam tempore
 sui martyrii cum multorum votis ex S. Ambrosio ad
 nuptias expeteretur: „Hæc sponsi injuria est, in-
 „quiebat, expectare placituram: qui me sibi prior
 „elegit, accipiet. Quid percussor moraris? pereat
 „corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo.
 Ex Brevi- Nonne talis B. Agatha, quæ Quintiniani Siciliae
 viario 5. Prætoris conjugio prætulit durissima tormenta?
 Febr. Lect. 4. & 5. Nonne & talis B. Susanna, quæ maluit gladium
 Ex eod. 11. Diocletiani Imperatoris, quam filii ejus Galerii
 Augst. Lect. 9. Maximiani amplexus? Respuit nuptias regias Iphi-
 Ex eod. 21. genia ab Apostolo Matthæo perseverantiæ neces-
 sept. Lect. 5. sitatem edocta, qui & maluit vitam profundere &
 sanguini

sanguinem quàm Virginitatem Christo dicatam
 Nuptiis prostituere, quem proinde *Victimam &*
sacrificium Virginitatis inscribit S. Hyppolitus. *L. de 12. Apostolis*
 Aliarum syllabum attexere non patitur propositus
 nobis λακονισμ^o, ideoque elegantissimo discursu
 S. Ambrosii, quo Virginem lapsam affatus est,
 concludo hanc probam, è quo & manifestò constat,
 quibus olim cæremoniis inchoatus hic status:
 „ Non es memorata diei sanctæ Dominicæ Resur- *e. 3a*
 „ rectionis, is inquit, in quo divino Altari te obtu-
 „ listi velandam? in tanto itaque solenni conven-
 „ tu Ecclesiæ Dei, inter lumina illa splendida, in-
 „ ter Candidatos Regni cœlestis quasi Regina Re-
 „ gi nuptura processeras. Non es memorata qua-
 „ lis allocutio facta est illa die ad te? Reminiscere
 „ ergò quantus ad sponsi tui & Domini nuptias
 „ populus convenerit: servare te oportuit fidem
 „ quam sub tantis testibus pollicita es, semper co-
 „ gitare cui Virginitatem sponsonderis: facilius te
 „ oportuit sanguinem cum spiritu fundere quàm
 „ perdere castitatem tuam. His tunc in illo die
 „ consecrationis tuæ dictis & multis supra castita-
 „ tem tuam præconiis sacro velamine tecta es, ubi
 „ omnis populus dotem tuam subscribens, non
 „ atramento sed spiritu pariter clamavit: Amen.
 „ Vincor lachrymis cum hæc recordor: compun-
 „ gor stimulis dum hæc exempla considero; nam
 „ si inter decem testes confectis sponsaliis, nuptiis
 „ consummatis, quævis viro femina conjuncta
 „ mortali non sine magno periculo perpetrat ad-
 „ ulterium, quid putas fore si inter innumerabiles
 testes

„ testes Ecclesiæ, coram Angelis exercitibus cœli,
 „ facta copula spiritualis per adulterium solvitur?
 „ nescio an possit ei digna mors an pœna cogitari.
 „ Dicit aliquis: melius est ergò nubere quàm uri:
 „ hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad non-
 „ dum velatam: cœterùm quæ se spon-
 „ dit Christo & sanctum velamen accepit, jam nup-
 „ sit, jam immortalijuncta est viro, & jam, si vo-
 „ luerit nubere, communi lege conjugii adulte-
 „ rium perpetrat, ancilla mortis efficitur.

L. de Vir-
gin.

OBSERVANDUM PRIMÒ olim moris fuisse
 ut Virgo consecranda Deo seculi fastu deposito &
 simplici habitu induta in Ecclesiam magnâ Virgi-
 num catervâ deduceretur: ut, quemadmodum
 Nuptura splendide ornata & à sponso deducta
 (quod itidem moris erat) eo profitebatur omni-
 busque testatum volebat hunc suum ducem se ag-
 noscere sponsum & Dominum, ita vicissim illa ex
 S. Basilio omnibus palam faceret nolle se sponsum
 alium quàm Christum: *Nam quòd solenne legiti-
 mumque connubium sponsus ille occupavit, & Vir-
 ginitatis habitus, & fœdera, & conventa cum illo,
 & præterea processus ipse testatur: hujusmodi quip-
 pe viro nobilitata processit in publicum.*

De Infit.
Virg. c. 17.
Durand.
Ration.
div. Offic.
l. 2. c. 1.

OBSERVANDUM SECUNDÒ, post Vir-
 ginitatis Elogia & instructionem Virgini datam,
 fusasque pro ejusdem perseverantia preces solen-
 nes, quas habet D. Ambrosius, ei *Velum* ante Aram
 ab Episcopo impositum, quo se Vidua ipsa manibus
 propriis ab Altari accepto obtegebat: ejus color
 varius, is alibi albus, alibi niger, alibi etiam pur-
 pureus

pureus, sed usus siue in Ecclesia siue extra illam perpetuus & forma eadem cum nostris. Dixi ab Episcopo *Velum* Virgini impositum; ei namque propria semper Virginum consecratio & cura; de qua videri poterit S. Chrysostomus.

L. 3. de Sacerd.

*Quo duce certa teris fluxa vestigia vitæ,
Hunc taciturna tuum Virgo submittit collum,
Mortua sis cunctis aliis.*

cecinit D. Gregorius Nazianzenus Carm. 3. Illud à B. Clemente Papa accepit Flavia Domitilla Virgo Romana, Titi & Domitiani Imperatorum Neptis; à Liberio Marcellina Soror D. Ambrosii: etiam summis Ecclesiæ Præsulibus occupare suas hoc opere manus volupe fuit.

Ex Breviario Rom. 12. Maji, lect. 5.

L. 3. de Virg.

OBSERVANDUM TERTIÒ, eo ipso quòd hoc Velum imponeretur, eas citra ulla vota alia ad perpetuam continentiam obligatas, ideòque illud D. Chrysostomo dictum, *eas à Nuptiis coercere*, vel etiam assumpto Habitu Virginali, non enim ubique velamen illud in usu: quomodo hodie-
dum susceptis Ordinibus maioribus eidem mancipantur Clerici; & solo Habitu olim astringebantur Monachi non sine sacrilegio Apostatæ, ut fusiùs deducit Nebridius à Mundelheim: non enim Vota illa solennia olim in Ecclesia usitata, quibus hodie Religiosi utuntur, at postmodum inducta non divino, sed humano jure; non enim divinæ institutionis, sed humanæ piæque adinventionis est trium Votorum coagulum: nam cùm alibi Adollescentes & alibi Virgines, pudicitia conservandæ causâ, in unam domum congregarentur, ut servaretur disciplina, invaluit Votum Obedientiæ: & ut Congregationes hujusmodi

Serm. quidam Reg. Fem. Viris cohabitarent.

In Antiquario Monast. Epist. 47.

B

sub-

Vide Pla-
tum de Bo-
no Status
Relig. l. 2.
c. 21.

subfisterent, ne bona allata quilibet pro suo libitu dissiparet aut ad consanguineos transferret, obtinuit Votum Paupertatis: præscriptum est autem Votum Castitatis, ne inde ad Nuptias avolarent, & ut Deo per vim coactivam fideles fervarentur: unde à religando Religiosi dicti.

Non est quòd cum Monialibus ratione Professionis suæ contra vos, ô Virgines, insolescant, & prima ac summa sibi præmia ascribant, utpote qui sibi imaginantur vos tantummodò pauculos fructus, se autem cum fructibus arborem ipsam Deo consecrare: cùm eadem quæ Claustralium sit & vestra obligatio; peto namque quæ vestra intentio, quæ cogitationes, quando Christo fueritis dicatæ? Numquid omnium, velle vos soli Deo vivere, servire, & mori? Reprobæ sanè, quarum mens alia aut sensus alius: adeoque non ratione Continentiæ vos præcellunt, cùm ab Anno 1139. *Innocentius Secundus* irrita voluerit eorum matrimonia, vos autem reliquit, quod & hodie facit Ecclesia, conscientia vestra, quæ videant, quomodo coram Deo excusent, quæ hîc se infideles præbent: neque ratione Paupertatis, cùm plerumque divitiis abundant Monasteria in quæ recipiuntur, *ubi sunt ditiores Monachi quàm fuerant Seculares*, scribit S. Hieronymus, *possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete Diabolo non habuerant, & sustinet eos Ecclesia divites quos tenuit mundus ante mendicos*. Vel si Mendicantium sint, nescio quomodo illi sibi magna polliceantur merita, qui suo patrimonio non egenis, quod probat Evangelium, sed consanguineis ut plurimum relicto eoque iis ditatis veros & ex necessitate pauperes suâ mendicitate

Epist. ad
Heliodor.

spo.

spoliant eleemosynis, prodantque nil sibi esse eâ paupertate infensus, quam magnis conatibus certant amoliri: *Minus etiam aliis mendicis nocivi sumus*, commoda sobrietatis exponens Novitiis suis inculcat Doctor Seraphicus, *quia, quò plura ab hominibus petimus, eò minus aliis mendicis dandum relinquimus. Et hoc verè est quoddam genus Rapinae, quod à paucis advertitur, cum aliquis ultra necessitatem veram mendicat, unde alter magis indigens patitur detrimentum, quia postea superveniens non invenit quod iste præveniens præripuit.* Neque denique Obedientia, cum non minus hanc acilli, ut c. 3. §. 2. trademus infra, Superioribus vestris debeatis, nec soli Monasticæ cedant, quæ de ea apud SS. PP. exstant Encomia. Nolim hæc dicta in vituperium aut vilipendium Religiosorum, sed ut constet non esse in solo eorum vellere pluviam & alibi ficcitatem, ut in *Virgine sua speciosissima* nequicquam probat Arnoldus Cæsarius Observans Franciscanus.

De Profe-
ctu Relig.
L. 2. c. 47.

Est itaque, Virgines, vita vestra Status in Ecclesia & quidem ipsi Evangelio coævus: *Post Crucem Christi*, observat D. Hieronymus, *statim in Actis Apostolorum una domus Philippi Evangelistæ quadrigam produxit Virginum filiarum, ut Cæsarea, in qua ex Gentibus Ecclesia per Centurionem Cornelium fuerat dedicata, etiam Virginum puellarum præberet exempla.* Ideoque quas supra PRIMOGENIAS dicebam VIRGINITATIS FILIAS, nunc voco RELIGIOSARUM MATRES. *Tantum maneat & duret solida & illæsa Virginitas, & ut cæpit fortiter, jugiter perseveret,* commendat Antistes Carthagen-
sis, *non enim in se Filia, non inquam in se Filia, sed*

L. 1. adv.
Jovinian.
c. 24.

c. 21. v. 9.

c. 10.

De Discip.
& Hab.
Virg.

L. 3. de
Virg.

in nobis vulneratur Ecclesia: caveamus igitur, ad cautelam suggerit D. Ambrosius, ne lapsus noster vulnus Ecclesiae fiat.

§. III.

De Cacumine Scalæ Cælum tangente.

Ex S. Aug.
in qq. ex u-
troque Te-
stamento
mixtim
c. 127.
ex Theodor.
div. decret.
l. 5. de Ma-
trim.
Matth. 19.
ibid. 11:12.

A Christo institutum seu approbatum Statum duplicem agnoscit Ecclesia, Conjugalem scil. & Virginalem: Conjugalem, dum suâ cohonestat præsentia Nuptias in Cana Galilæa, *conferens quod deerat ad lætitiâ, donando vinum absque ulla agricultura productum*, matrimonioque leges præscribit, illud ad primævam sui institutionem revocans: Virginalem tam verbis apud Matthæum, quàm suo exemplo, dum ex matre Virgine natus, Virginitatem coluit sine nuptiis, qua de causa ut olim de Eva Gen. 2: 23. *Adam: Hæc vocabitur Virago, quoniam de Viro sumpta est*, Virginis etymologiam à Viro, qui Christus est, derivat S. Fulgentius. At neuter præceptus, eum namque qui magis arriserit amplecti cuique liberum: Matth. 19: *qui potest capere capiat*, qui non vult, omittat. Placet tibi Conjugium? duceres affectu ad maritum, Gen. 2: 22. *ut olim Deus adduxit Evam ad Adam?* nullum tibi obstat impedimentum: *Si nupserit Virgo non peccavit.* Afficeris ad continentiam? affectum probat & promovet Apostolus tanquam misericordiam ibid. v. 25. *consecutus à Domino ut sit fidelis.* Imperio legis hîc nemo necessitatur, consilio charitatis agit Apostolus. Atque hoc ita dico (Apostolo succinens, inquit L. de Virg. Aus. *„D. Ambrosius) non ut laqueum cæteris injiciam, sed*

„ sed ut commissi mihi ruris operarius agrum hunc
 „ Ecclesiæ fertilem cernam, nunc integritatis flore
 „ vernantem, nunc Viduitatis gravitate pollentem,
 „ nunc etiam Conjugii fructibus redundantem :
 „ nam etsi diversi unius tamen agri fructus sunt : nec
 „ tanta hortorum Lilia, quantæ aristæ segetum, mes-
 „ sium spicæ, compluriumque spatia camporum re-
 „ cipiendis aptantur feminibus quàm redditis nova-
 „ les fructibus feriantur. Ea tamen utriusque diffe-
 „ rentia, quòd Virginali primas cedat Conjugalis,
 „ (*Prius est quod nati sumus, quàm quod effecti, multòque* Ex D. Am-
brof. Epist. 81.
 „ præstantius divini operis mysterium, quàm humanæ
 „ fragilitatis remedium;) non quòd hic malus sit ut
 „ olim Manichæi, Enkratitæ, Marcionitæ, Ebionitæ
 „ aliique Hæretici docuere, idcirco nubere prohibentes, 1 Timoth. 4: 1.
 „ quos dæmoniorum doctrinis attenturos præmonet
 „ Apostolus : „ Scimus enim nuptias non esse pecca-
 „ tum sed Dei opus & Deidonium (loquor cum S.
 „ Fulgentio) quas ipse Dominus connexuit fidei vin- supra. c. 9.
 „ culo, gratificavit benedictionis dono, multiplicavit
 „ propagationis augmento : novimus honorabile Hebr. 13: 4.
 „ Connubium in omnibus & thorum immacula-
 „ tum : novimus à Deo non Conjugia sed fornica-
 „ tiones & adulteria judicanda. Qui namque copu-
 „ lam damnat (argumentatur D. Ambrosius) dam- L. 1. de Virg.
 „ nat & filios, & ductam per successionum feriem
 „ generis societatem damnat humani : nam quem-
 „ admodum duratura in seculum ætas succedere pos-
 „ set ætati, nisi gratia nuptiarum procreandæ stu-
 „ dium sobolis incitaret? ideòque *damnando Conju-*
 „ *gia* eos addit profiteri quòd *ipsi non debuissent nasci.*
 „ Sed quòd bono melior sit, ut post præmissas diver-

1 Cor. 7: 38. *fas rationes concludit Apostolus: Igitur & qui Ma-*
trimonio jungit Virginem suam bene facit, & qui non
jungit melius facit: quæ & Patrum omnium censura
est: ita nuptias recipimus, ut Virginitatem, quæ de nu-
ptiis nascitur, præferamus, Joviniano respondet Hie-
L. 1. c. 1. *ronymus: numquid argentum non erit argentum, si*
aurum argento pretiosius est? aut arboris aut segetis
contumelia est, si radici & foliis, culmo & aristis po-
ma præferantur & fructus? ut poma ex arbore, fru-
mentum è stipula, ita Virginitas à nuptiis. Sed quia
1 Cor. 7: 7. *unusquisque proprium habet donum à Deo, alius quidem*
sic, alius autem sic. „ Nos quoque (Probæ rescribit
Epist. 3. „ S. Fulgentius) sic utriusque doni gradum discer-
c. 9. „ nimus, ut utrumque donum à Deo tribui fidelibus
 „ non negemus: non igitur inferius Dei donum de-
 „ vocamus in culpam, cum potioris doni præferimus
 „ gratiam: nec, cum primum pudicitiae donum præ-
 „ ponimus, secundum tertiumve damnamus: nec in
 „ eo quod integritatis Virginalis agnoscimus culmen,
 „ pudicitiae conjugalis asserimus crimen; neque sic
 „ Virginitatem frumentis ascribimus, ut Conjugi-
 „ um inter zizaniam deputemus: verumtamen utri-
 „ usque rei congrua discretionem momenta pensantes
 „ tantum dicimus à sanctis nuptiis, ubi nubunt qui
 „ se continere non possunt, sanctam Virginita-
 „ tem meritò potiori distare, quantum distant à bo-
 „ nis meliora, ab humilibus celsa, à terrenis cœlestia,
 „ à beatis beatiora, à sanctis sanctiora, à mundis
Orat. 31. *mundiora, &c. Vide Gregorium Nazianzenum,*
L. 1. de *Ambrosium, Augustinum & reliquos omnes.*
Virg. l. de *Præstat autem Virginitas matrimonio non in eo*
Viduis. *tantum quod minoribus subiaceant difficulta-*
L. de dogm. *tibus*
Eccl. c. 68.
& alibi
passim.

tibus Virgines quàm Coniuges, quibus carnis tribulationes denuntiat Apostolus quasque enumerat *1 Cor. 7:13.*
 Ambrosius (ut voluit Jovinianus hæreticus) sed & quòd maioribus præmiis reserventur in cœlis, ut passim & contra eum hæreticum ex sacris Literis deducunt Patres atque demonstrant: „ Prima sententia crescere & generare præcepit, secunda continentiam suavit (ex D. Cypriano) cùm adhuc rudis mundus & inanis est copiam fœcunditate generantes propagamur & crescimus ad humani generis augmentum: cùm jam refertus est orbis & mundus impletus, qui capere continentiam possunt Spadonum more viventes castrantur ad regnum: nec hoc jubet Dominus sed hortatur: nec jugum necessitatis imponit quando maneat voluntatis arbitrium liberum: sed cùm habitationes multas apud Patrem suum dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes majoris gratiæ præmium in cœlestibus obtinetis. Hieronymum non cito, neque Augustinum, cùm ii fusissimè huic veritati patrocinentur, ille L. 1. adversus Jovinianum, hic L. de sancta virginitate c. 22. & seqq. neque indiget ea patronis cùm testem habeat ocularem D. scil. Joannem, *Apoç. 14:3.* ait is audisse se de cœlo vocem canticum novum cantantium, quod nemo nisi Virgines dicere poterant, easque sequi Agnum quocunque ierit. „ Quò ire *vers. 4.* putamus hunc Agnum? (rogat S. Augustinus) *L. de S. Virg. c. 27.* „ quò nemo eum sequi vel audeat vel valeat nisi vos. „ Quò putamus eum ire? in quos saltus & prata? „ ubi credo sunt gramina gaudia, non gaudia sæculi „ hujus vana, infantiæ mendaces, nec gaudia qua-

*Epist. 82.**Tract. de
Passione
Domini
c. 31.*

„ lia in ipso regno Dei cæteris non Virginibus erunt,
 „ sed à cæterorum omnium gaudiorum sorte distin-
 „ cta. Gaudium Virginum Christi, de Christo, in
 „ Christo, cum Christo, post Christum, per Chri-
 „ stum, propter Christum. Gaudia propria Virgi-
 „ num Christi, non sunt eadem non Virginum,
 „ quamvis Christi: nam sunt aliis alia, sed nullis talia.
 Vide itaque quò te mystica nostra Scala ducat, quod
 præmium, quod sodalitium te in cœlesti beatitudi-
 ne maneat: tangit illa Cœlum ut directè, non lon-
 giore circuitu, quod de Matrimonio scribit Ambro-
 sius, ad castra Sanctorum pervenias, ad præmia tibi
 reposita conscendas, Choro Virgineo te inseras, Ag-
 num sequaris quocunque ierit: „ Caveant tamen
 „ Virgines Christi (moneo cum D. Bernardo, quo
 „ & finio) ne pueriliter intelligant ita ut solam Vir-
 „ ginitatem credant sibi sufficere ad sequendum
 „ agnum Dei quocunque ierit, cum ipse Agnus non
 „ solum Virginitatis semitam, imò etiam omnium
 „ virtutum viam incedat. Oportet ergò Virginem
 „ Christi omnium virtutum itinere etiam in hac vita
 „ Agnum mansuetissimum imitari, si vult illuc ve-
 „ nire, ubi sine fine eum quocunque ierit sequetur.
 „ Quomodo enim posset sequi Virgo superba Ag-
 „ num in humilitatis via gradientem ad quem nullo
 „ modo accedet? quomodo mitissimum iracunda?
 „ quomodo ferventem charitate invida? quomodo
 „ largissimum avara? quomodo sobrium ebria? am-
 „ bulat in omni via omnium virtutum Agnus, am-
 „ bulet sic & Virgo cupiens Agnum imitari; sit mi-
 „ tis, sit humilis, sit charitate fervens, sit larga, sit
 „ alacris, sit sobria & imitabitur Agnum quocunque
 ierit.

„ierit. Denique merebitur ab ipso Sponso suo au-
 „dire, Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis *Cant. 7:1.*
 „tuis filia Principis: specialis filia Dei, Principis &
 „Domini Regum universæ terræ, erit anima Virgi-
 „nalis, cujus gressus commendantur in calceamen-
 „tis. Per calceamenta autem accipimus exempla
 „mortuorum, quia calceamenta fiunt de mortuis
 „animalibus. Pulchri igitur sunt gressus Virginum
 „in calceamentis, cùm directè sequuntur per viam
 „virtutum omnium Agnum Christum pro ipsis
 „mortuum, pro Agno paratæ etiam ipsæ usque ad
 „mortem & per mortem, si necesse est, sequi
 „Agnum, in omni facto munientes pedes affectuum
 „suorum exemplis optimi Agni Jesu Christi adver-
 „sus Serpentem insidiantem calcaneo virginali, cùm
 „caput Serpentis virginali pede ipsius Agni adjutorio
 „conculcatur.

§. I V.

De Domino Scalæ innixo.

Quartæ hujus Scalæ circumstantia est, quòd ei
 Dominus inniteretur: *Vidit Dominum innixum* *Gen. 28:13.*
Scale. Cujus consideratio duplex apud Interpretes:
 una, quàm docet Alcazar, quòd ad imos Scalæ gra- *in c. 2.*
 dus constiterit, ut eam teneret & firmaret, sed quæ *Apoc.*
 verisimilitudinem non habet. Altera & communior,
 quòd is ejus summitati incumberet, quare pro eo
 quòd habet nostra versio Dominum Scalæ innixum
 70. dicunt superfirmatum: adeoque Virginitatis
 prærogativam denotat, quâ ea gaudet præ statu Con-
 jugali: facillimum nempe in ea dari cum Domino

1 Cor. 7.

vers. 8.

vers. 34.

& 35.

congressum, eumque quasi vacare semper ad illarum alloquia, accessumque præstolari: ut cum Jacob, hinc tuis oculis videas, quo veluti præcipuo suo fundamento utebatur Apostolus continentiam & Virginitatem persuasurus, ait namque præter complura alia (cùm jam ante scripsisset: *Dico non nuptis & viduis bonum est illis si sic permaneant sicut & ego*) mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Porro hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, sed ad id, quod honestum est, & quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi. Cogitat itaque quæ Domini sunt, utpote tempus habens & otium: Cogitat, inquam, absque ulla interturbatione, ut Deo vacet & serviat, eum laudet & diligat, ejus voluntatem adimpleat, non causâ mariti distracta vel subjectione, sed vocatione sua curis negotiorum secularium expedita.

p. 2. v. 7.

3: 5.

3: 4.

Cant. 2. c.

v. 16, 17.

Ecce Virgines ex ore Apostoli, quod oculis suis mysticè vidit Patriarcha Jacob: idque si PP. SS. testimoniis uberius vellem probare, non secus agerem ac si in plena meridie fulgentem solem vobis ostenderem, utpote quæ veritatem hanc ipsâ experientiâ agnoscitis: vos namque concernit quod tribus diversis locis in Canticis dicitur: *Adjuro vos filia Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciat is dilectam, quoad usque ipsa velit*. Ideoque de hac vestra prærogativa non est, quod vos instruam, sufficit si ad ejus usum exstimulem: Itaque Sponsam æmulemini: *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur umbra.* „ Itane, (post Ion-

„longum discursum ait D. Bernardus) huic intenta *Serm. 68.*
 „est illa majestas, cui gubernatio pariter & admini- *in Cant.*

„stratio universitatis incumbit? & cura seculorum
 „ad sola transfertur negotia, imò otia amoris & de-
 „siderii hujus? ita planè: providentiam cæteris crea-
 „turis non negamus, curam Sponsa vendicat sibi:
 „sed & propterea utrumque ponit, dicens: Ille mihi
 „& ego illi: Ille mihi, quia benignus & misericors
 „est, ego illi, quia non sum ingrata: ille mihi gra-
 „tiam ex gratia, ego illi gratiam pro gratia: ille meæ
 „liberationi, ego illius honori: ille saluti meæ, ego
 „illius voluntati: ille mihi & non alteri, quoniam
 „una sum columba ejus, ego illi & non alteri, nec
 „enim audio vocem alienorum. Haftenus Doctor
 mellifluus. Cujus & hæc Regula infallibilis: *Amor* *Serm. 69.*
in Cant.

Dei amorem animæ parit. Idem ex ead. habes: *Ego* *Cant. 7:10.*
dilecto meo & ad me conversio ejus. Rationem allegat

S. Basilii: „Si sollicita est, quomodo placeat Do- *L. de Vir-*
 „mino, scire profectò debet, quia & ipse, in nullo *ginis.*

„licet obnoxius, quomodo sponsæ suæ placeat, cu-
 „rat: nam si mortalem virum vitæ suæ præsidem
 „atque custodem nacta mulier, suæ circa illum curæ
 „& obsequii præmium, ipsius in omnibus guber-
 „naculum & regimen vicissim recipit, quantò ma-
 „gis quæ Deo gubernationem sui totâ fide permi-
 „sit, & cum illo simul vivere semper elegit, copio-
 „sissima suæ circa illum curæ præmia, ipso sibi per
 „omnia prospiciente, suscipiet? Idque parentibus

adeo erat incalcatum, ut eodem sancto Antistite re- *Epist. 1.*
 ferente etiam infantes Deo consecrandas offerrent, *Canonica*
 licet cum repulsâ: „Illud à nobis confiteri est ne- *ad Amphilo-*
 „cessarium, quod Virgo nominatur, quæ se suâ *loch. cap.*
 spon- *18.*

„sponte Domino obtulit, & matrimonio renuntia-
 „vit, & vitam in sanctificatione protulit: professio-
 „nes autem ab eo tempore judicamus, quo ætas ra-
 „tionis complementum habuerit: non enim pueri-
 „les voces omnino in his esse ratas existimare oportet,
 „sed eam quæ supra 16. vel 17. annos nata fue-
 „rit rationisque compos & diu examinata probata-
 „que perseveraverit, &, ut admittatur, precibus
 „contendit: tum oportet in sacrarum Virginum ca-
 „talogum referri, ejusque confessionem probare, &
 „illius infirmationem inexorabiliter punire. Quæ
 „ideo refero, ut quæ olim Virginum fuerit existima-
 „tio apud parentes intelligatis, quam & ex D. Am-
 „brofio licet cognoscere ad Virginem lapsam, quam
 „alloquens ait: „Non istam confusionem de te tuus
 „expectaverat pater, qui te sibi singularem gloriam
 „computabat: non hunc luctum & has lachrymas
 „ex te sibi nasci tua crediderat mater, quæ partus sui
 „gemitum per tuam virginitatem consolabatur: si
 „fuisses communi sorte defuncta, flectent te modici
 „cum propter desiderium parentes, sed exultassent
 „granditer, quia immaculatam præmiserant Virgi-
 „nem, hostiam vivam, Domino propitiatricem videlicet
 „delictorum suorum. Idque idem Præsul iisdem
 „inculcarat olim. „Audistis (inquiens) parentes qui-
 „bus erudire virtutibus, quibus instituere discipli-
 „nis filias debeatis, ut habere possitis, quarum me-
 „ritis vestra delicta redimantur: Virgo Dei donum
 „est, munus parentum, sacerdotium castitatis: Vir-
 „go matris hostia est, cujus quotidiano sacrificio
 „vis divina placatur. Ne quis autem hæc de Monia-
 „libus scripta excipiat, subnectitur: „Virgo indivi-
 „duum

L. 1. de
 Virginit.

„dum pignus parentum, quæ non dote sollicitet,
 „non emigratione destituat, non offendat injuria.
 Nonne suum hoc habet fundamentum? quis nam-
 que dubitaverit eas permulta posse, quæ in brachiis
 Sponsi cœlestis conquiescunt qui ad amplexus pa-
 ratus Scalæ huic mysticæ innititur. Quæ asseverant
 gloriabundæ: *Læva ejus sub capite meo & dextra il-*
lius amplexabitur me. At hæc de Virginibus dico, ut
 & vos intelligitis, quæ verè Virgines sunt, *non faci-*
entes animam, juxta D. Fulgentii phrasin Epist. 3. c.
 14. *sub Virginitatis nomine in concupiscentiis dormi-*
tare: Quæ cogitant quæ Domini sunt, quomodo
 placeant Deo, cui ex S. Basilio velle placere, nihil
 „est aliud, quam laudabilem seipsam, ac beatam, &
 „ei similem pro viribus facere. Quod ut & vos fa-
 ciatis unicè commendo cum S. Augustino: Vos
 „Virgines, genus electum, & in electis electius vir-
 „ginei chori: ergone hunc quantò ejus donis orna-
 „tiores estis, tantò minus amabitis? Agite quod ait A-
 „postolus (monet idem doctor alibi) quoniã non co-
 „gitatis ea quæ sunt mundi, quomodo placeatis ma-
 „ritis, cogitate quæ Dei sunt, quomodo illi in omni-
 „bus placeatis, ut non uterum fœtibus, sed animum
 „fœcundum possitis habere virtutibus.

Cant. 2: 6.

8: 34.

L. de Vir-
ginit.de Virginit.
c. 40.Serm. 60.
de diversis.

§. V.

De Angelis in Scala.

Quinta circumstantia est, quòd *in Scala Angeli*
 videantur, cujus triplicem ex S. S. P. P. colligo
 considerationem:

Prima

L. 1. de
Virgin.

g. 3:7.8.

In Brevia-
rio Roman.
22. Novem.
Lecl. 4. &
9.

Matth. 22:
29. & 30.

Prima est Angelorum pro Virginibus cura & præsidium: „ Vobis Virgines sanctæ speciale præsidium „ est (scribit S. Ambrosius) quæ intemerato pudore „ sacrum Domini servatis cubile: neque mirum si „ pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum mori- „ bus militatis: meretur eorum præsidium castitas „ virginalis, quorum vitam meretur. Quem in sen- sum jam ante citaverat illud ex Canticis: *Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Isra- ël, omnes tenentes gladios & ad bella doctissimi*: quis namque ille Salomonis lectulus, nisi Status Virginalis, in quo Salomon divinus deliciatur cum anima capta? hunc ad defensionem ambiunt Angeli, sive ut in Scala nostra mystica videmus & adstant Angeli quæ est eadem cum lectulo. Videtis illos? agnoscite eos vestros præfides, quibus volupe vestro vacare ministerio, pro vestra custodia excubias agere. Exempla, quibus hoc confirmem, plurima suppeditant gesta SS. unum allegasse sufficiet ex Vita D. Cæcilie, quæ cum contra propositum suum & invita ad ma- trimonium cum Valeriano coacta fuisset, primâ nup- tiarum nocte se dixit sub Angeli tutela, qui ejus vir- ginitatem defensaret, ideoque nihil committeret, quo in se Dei iram provocaret: dicti veritatem post baptismum & ipse & frater ejus Tiburtius illo viso agnovêre.

Secunda est Virginum excellentia, quæ per hos Angelos adumbrantur: ex eo namque, quod Saddu- cæis rogantibus quisnam fratrum, quæ septem nu- mero successivè eandem uxorem habuerant, eam in resurrectione esset habiturus, responderit Salvator:

Erratis, in resurrectione enim neque nubent, neque nu- bentur,

bentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. Deducunt
 SS. P P. Virginitatem virtutem, five ut loquitur S.
 Hieron. similitudinem, esse *Angelicam*, ideoque Vir- *Epist. 50.*
 gines Deo consecratas Angelis similes: omnes alle-
 gare necessarium foret, si omnium glossas referrem,
 aliquos tamen duxi audiendos, ne, ubi illi tam fuere
 eloquentes, nos silentiarii simus. „ Quod nobis pro-
 „ mittitur, vobis præsto est, votorumque nostrorum
 „ usus apud vos est: de hoc mundo estis, & non estis
 „ in hoc mundo: seculum vos habere meruit, tenere
 „ non potuit: (habet D. Ambros.) „ Hoc vobis sua- *L. 1. de*
 „ deo (ait idem) quo nihil pulchrius, ut inter homi- *Virgin.*
 „ nes Angeli sitis, qui nullâ sibi ligantur nuptiali co- *in Exhort.*
 „ pulâ. „ Quod futuri sumus (verba sunt S. Cypriani) *ad Virgin.*
 „ jam vos esse cœpistis: Vos resurrectionis gloriam in *de Habit*
 „ isto seculo jam tenetis: per seculum sine seculi con- *& discipli-*
 „ tagione transitis, cùm castæ perseveratis & virgi- *na Virg.*
 „ nes Angelis Dei estis æquales. Adam autem cog- *Hom. 18.*
 „ novit uxorem suam: considera (inquit S. Chryso- *in Genes.*
 „ stomus) quando hoc factum sit: post inobedien-
 „ tiam, post paradisi emissionem, tunc primum usus
 „ rei veneræ cœpit: ante inobedientiam enim Ange-
 „ licam vitam imitabantur, & nulla fuit concubitus
 „ causa: quî enim potuit cùm neque corporalibus
 „ necessitatibus obnoxii fuerint? Itaq; ab initio Vir-
 „ ginitas palmam principatus accepit, sed postquam
 „ per desidiâ peccatum intravit, & aditus patefa-
 „ ctus est his quæ peccati sunt, illa quidem avolvit
 „ utpote ab his, qui indigni tantæ virtutis magnitu-
 „ dine facti erant, subintravit autem rei veneræ lex.
 „ Cogita igitur dilecte quanta Virginitatis dignitas,
 „ quàm sublimis & magna possessio, supraque huma-
 nam

nam naturam, & quæ opus habeat manu supernâ. „
 Quod enim hi qui Virginitatem alacriter arripiunt „
 in corpore ea agant quæ incorporearum sunt vir- „
 tutum, audi Christum Judæis dicentem: &c. „
 Vidisti quomodo in terra ambulant, & corpore „
 circumdati angelicam vitam imitantur, qui Christi „
 amore Virginitatis sortem acceperunt? nam quan- „
 tò hæc major est, & sublimior tantò majores sunt „
 & coronæ & retributiones & repromissa bona eo- „
 rum, qui cum hac in aliis bonis operibus se exer- „
 cent. Amplius dicit S. Basilus: „ Hi profecto qui „
De vera „ virginitatem servant Angeli sunt: Angelique non „
Virginit. „ obscuro aliqui, sed sanè illustres atque nobilissimi: „
 illi enim carnis nexibus liberi integritatem suam in „
 coelis servant, & loco & naturâ inviolabiles, & apud „
 summum Regem omnium Deum constituti: at „
 verò isti in terrâ, carnis illecebris & voluptatibus „
 diu reluctantes, ac diaboli tentamenta perpetuâ ex- „
 ercitatione vincentes, incorruptionem angelicæ pu- „
 ritati parem virtute præcipuâ ante Creatoris ocu- „
 los custodierunt. Cui adstipulatur S. Petrus Chry- „
Serm. 143. „ sologus: „ Semper est Angelis cognata Virginitas: „
 in carne præter carnem vivere, non terrena vita est „
 sed cœlestis: & si vultis scire angelicam gloriam ac- „
 quirere majus est, quàm habere: esse Angelum fe- „
 licitatis est, Virginem esse virtutis: Virginitas enim „
 hîc obtinet viribus, quod habet Angelus ex natura, „
 quam proinde Angelum artificialem meritò dixe- „
Epist. 42. „ rim. S. Bernardus: „ Differunt homo pudicus & „
 Angelus felicitate, non virtute: Angeli castitas feli- „
L. de Bono „ cior, hominis fortior. Et D. Cyprianus: „ Virginitas „
pudicitia. „ æquat se Angelis, si verò exquiramus, etiam exce- „
 dit,

„dit, dum in carne luctata victoriam etiam contra
 „naturam refert, quam non habent Angeli. Jam au-
 „distis omnes, cum omnium eadem sit loquela: qua de
 „causa Cœlibes quasi Cœlites dixit S. Hieronymus. *L. 2. con-*
 Et D. Joanni Apostolo adorationem sui prohibet *tra Fovian.*
 Angelus. Vultis exemplum pro ampliori proba? In
 Virgine Stephano protomartyre habes (non enim so-
 lum sexus feminini, sed & virilis est hæc virtus) *Intu-*
entes eum omnes qui sedebant in concilio, viderunt fa-
ciem ejus tanquam faciem Angeli. *Act. 6: 15.*

Tertia autem & præcipua est earundem obliga-
 tionis adumbratio: debere scilicet, quotquot in hac
 mystica Scala sunt, angelicis nitere virtutibus, & *vir-*
tute animæ & corporis integritate Angelis esse æqua-
les, ex sensu S. Basilii. Multæ sunt, quæ sufficere ex- *De Virgi-*
 istimant, si velatæ sint, si Deo consecratæ: at decipi- *nir.*
 untur, non enim eæ Virgines, sed vocabula nuda &
 nomina cassa sunt Virginum, ampliùs requiritur, &
 quid requiratur in Scala hac videte, ut nempe Ange-
 los se exhibeant moribus & virtutibus: „ Statim ut
 „filius Dei ingressus est super terram, novam sibi fa-
 „miliam instituit (scribit D. Hieronymus) ut qui ab *Epist. ad*
 „Angelis adorabatur in Cœlo, haberet Angelos & *Eustoch.*
 „in terris. Ecce Angeli estis, seu potius esse ratione
 vocationis vestræ debetis, cum *Angelis* ad obsequia
 divina promptæ, ad facta heroica cum *Archangelis*
 expeditæ, cum *Principatibus* animæ vestri regni præ-
 sides sollicitæ, cum *Potestatibus* contra dæmonum
 tentationes fortes, cum *Dominationibus* non passio-
 num vestrarum mancipia at earum dominæ, cum
Virtutibus in bonis operibus frequentes, cum *Thronis*
 gratum Dei hospitium, cum *Cherubinis* cœlesti noti-
 tiâ

tiâ instructæ, & divino amore flagrantés cum *Seraphinis*: talis quæcunque est, ea demum est, qualis esse debet Angelus non naturâ sed imitatione; ea talis est, qualem debere esse omnes, quæ in hac mystica Scala sunt, Hi Angeli adumbrant: „Immaculatus,“ enim Dominus sibi familiam etiam in hoc pleno, colluvionum fragilitatis humanæ corpore consecra-„

L. 1. de vit, ex S. Ambrosio.

Virgin.

Auditis imò intuemini ex vi vocationis obligationem vestram, quam & ipsæmet contraxistis: nonne provolutæ olim ante Aram vos totas Deo consecrastis? nonne omnibus notum voluistis in terrenorum Angelorum numerum & magni Domini Familiam vos receptas? quid est quod tunc vobis reservantes cum Anania & Zapphyra Deo subtraxistis? nihil omnino, holocausta eratis flammâ divini amoris incensa, in ejus honorem totaliter consumenda: Sponsæ eratis, omnia vestra & vos ipsas in Sponsum celestem resignantes. Ut & hinc denuo pateat falsa eorum distinctio, qui in eo à Religiosis vos discriminant, quòd illi arborem ipsam cum foetibus, vos autem retentâ arbore solummodò quosdam fructus Deo deferatis, cum ex vi status vestri ad divinum obsequium eadem cum illis vos obligatio constringat.

State itaque promissis, & quæ nomine Angelorum familiam augetis in terra, cœlestium Angelorum officia æmulemini: horum præfidiis gloriemini quidem, gloriemini etiam (& meritò potestis) status vestri excellentiâ, quæ vos Angelis reddit æquales: sed & (quod omnibus & singulis summè inculcatum oportet) ejusdem obligationi satisfacite: est quidem ex S. Cypriano; *Virginitas Soror Angelorum*. Sed & ex eodem

eodem ; *Regina Virtutum & possessio omnium bonorum.*

§. VI.

De Angelis in Scala ascendentibus.

Angelos in Scala vidimus, sequitur ut eosdem Ascendentes contemplemur : quos dum vobis conor ostendere, ecce prima occurrit primum pedem huic Scalæ imponens (cujus memoriam agit Ecclesia) ^{21. Novemb.} beatissima Virgo Maria, quam Virginum Matrem ac Magistram multis probat D. Ambrosius, *Hæc est* ^{L. 2. de Virg. in initio.} *imago Virginitatis*, scribens inter alia, *Talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita omnium disciplina sit.* Neque illa occurrit sola, sed & piissimi ejusdem parentes Joachim & Anna, hanc unicam suam filiam, & unicè dilectam gratissimo spectaculo adducentes ad hanc Scalam, eamque dum in Templo Solymæ præsentant, in illam erigentes ac collocantes. Quo spectaculo *ab Ascendentibus* divertimur *ad Ascensuras* earumque parentes, atque ab hisce detinemur : quibus, Virgines ad hæc Scalas conscendendas pelliciens, hoc eorum exemplum æmulari multis suadet Apostolus, tandemque concludit : *Igitur & qui matrimo-* ^{1 Cor. 7.} *nio jungit Virginem suam benè facit, & qui non jungit* ^{vers. 38.} *melius facit.* Quis namque matrimonii finis ? nonne ut proles suscitentur quæ hîc deserviant Deo, & in Cœlo eundem collaudent ? Ubi autem id melius fiet, an si in pœstilenti seculi aura maneant, vel si se Deo consecrent ? Apostolus, qui se spiritum Dei habere putabat, statum Virginalem præfert : „ (Lau- ^{1 Cor. 7 :} do nuptias, laudo conjugium, sed quia mihi Virgi- ^{40.} nes generant : Lego de Spinis Rosam, de terra au-
rum,

Epist. 22.
ad Eu-
stoch.

rum, de concha margaritam, scribit S. Hieronymus, „ Apostolo concinens) ideóque si ad hunc suas paren-
tes inducant; atque ad Scalas hasce adducant, melius
facient, & ut faciant hortatur. „ Bonum si Virgi-
ni studia parentum, quasi flabra pudoris aspirent; „
sed illud gloriosius, si teneræ ignis ætatis etiam si-
ne veteribus nutrimentis spontè se rapiat in fomi-
tem castitatis, monet D. Ambrosius. Inducere pos-
sunt parentes, sed cogere non debent; neque debet
sequi filia vota parentum, nisi invitari se à Domino
Scalæ nostræ innixio agnoscat, atque ad ascensum à
Deo se trahi sentiat, nam, *non omnes capiunt verbum*

L. 1. de
Virgin.

Matth. 19:
11.
Joan. 6:
44.

istud, sed quibus datum est; inquit Salvator. Et, *nemo
potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit
eum*. Etenim vocanti Deo reluctari malum est, ac si-
ne ejusdem vocatione hisce Scalis imponi invitam æ-
què malum. Vidistis aliquando pueros invitos ac re-
luctantes aliquórum protrahi, at dum dimittuntur,
manent ubi sunt: Vidistis tum ipsissimam earum
imaginem, quæ absque Dei vocatione ad hasce Sca-
las deducuntur: non vel pedem promovent: aliis
sunt impedimento, & suis Superioribus oneri ac do-
lori: cui malo ut occurratur ad Amphilochem Ico-
nii Episcopum hæc præscribit S. Basilius: „ Non „

Epist. 1.
Canonica
can. 18.

pueriles voces omnino in his esse ratas existimare „
oportet, sed eam quæ supra 16. vel 17. annos nata „
fuerit, rationisque compos & diu examinata proba- „
tæque perseveraverit, & ut admittatur precibus „
contendit: tum oportet in sacrarum Virginum ca- „
talogum referri ejusque confessionem comproba- „
re: multas enim parentes & fratres offerunt, & qui- „
dam eorum, qui eas cognatione attingunt, ante æ-

tatem

„tatem non ad cœlibatum ex seipsis incitatas, sed ali-
 „quid, quod ad victum suum pertinet, procurantes :
 „quas non faciliè admittere oportet, donec apertè
 „propriam suam sententiam perscrutati fuerimus.
 hæc ille. Et quia sæpius deficiunt Sacerdotes, æquè
 prurientes ad Virginum acceptationem ac parentes
 ad earundem oblationem, *Dauides*, qui numero gau-
 dent, non *Gedeones*, qui animos respiciunt. Dumque
 rara solatia ex ab intus habent nec superiores suos ad-
 nutum, instar puerorum quibus caput morosum hæ-
 rent sine ullo profectu, obmurmurant & recalcitrant.
 Gratus Deo Sacerdotum zelus pro augmento Vir-
 ginum, si sit secundum scientiam : grata etiam Deo
 parentum vota, dummodo ex sincera oriantur inten-
 tione, quibus quoque ut plurimum annuit : patet id
 in S. Monica Matre D. Augustini : in genitrice S.
 Bernardi, quæ proles recens natas brachiis complexa
 Deo devovebat, & eo quidem fructu, ut omnes sep-
 tem Sanctitate celebres obierint : In Francisco Sale-
 fio, quem, ut se gravidam sensit, divino cultui desti-
 naverat parens : qui proinde consilium illud paren-
 tibus omnibus suggerit. Nemo itaque filias suas
 Deo obtrudat, sed si vocet, si trahat eas, ut suam Jo-
 achim & Anna adducant, & Scalæ huic imponant :
 insuper nemo reluctetur, & ab ascensu retrahat ascen-
 suras : quales, cum tempore D. Ambrosii plures in-
 venirentur Mediolani, graviter in eas invehitur.
 „Plerasque Virgines cognovi velle, & prohiberi et-
 „iam prodire à matribus (ne scilicet eum audirent
 „Virginitatis præconem) & quod est gravius Vidu-
 „is, cum quibus hîc mihi sermo est : nempe si homi-
 „nem amarent filia vestra per legem possent eligere
 quem

*In Vita
ejus l. 1.*

*Introa.
p. 3. c. 3 7.*

*L. 1. de
Virgin.*

Epist. ad
Eustoch.

quem vellent : quibus igitur hominem eligere li-
cet, Deum non licet ? Quid invides mater filiæ ?
(Scribit S. Hieronymus) tuo lacte nutrita est, tuis,
educata visceribus, in tuo adolevit sinu, tu illam,
virginem sedulâ pietate servasti : indignaris quòd,
noluit militis esse uxor, sed Regis ? grande tibi be-
neficiû præstitit, focrus Dei esse cœpisti. Ideoque
dæmonum agit partes, quisquis hic luctatur cum
Deo : Illius namque studium est dissuadere quæ
Deus suadet, revocare ab illa via, quam ad salutem
necessariam seu utilem Deus proponit : *Inimici ho-*

Matth. 10: *mines domestici ejus.* Monet proinde præ-
cit. 36.

L. 1. de
Virg.

Antistes, ne Virgines cedant, parentumque con-
tradictiones quodammodo excusat. „ Contradi-
cunt parentes, sed volunt vinci : resistunt primò,
qui credere timent : indignantur frequenter, ut
discas vincere : abdicationem minantur, ut tentent,
si potes damna seculi non timere : quæsitis blandi-
untur illecebris, ut videant si variarum mollire te,
non queat blanditia voluptatum. Exerces Virgo,
dum cogeris, & hæc tibi prima certamina anxia pa-
rentum vota proponunt. Excusabilis contradictio
si hoc intuitu fiat, sin minùs prope in januis solet esse

Job 9: 4. divina vindicta : *Quis namque restitit Deo & pacem
habuit ?* Illustre exemplum concludit apud eundem
Antistitem propositam doctrinam, quod Virginis
constantiam firmet & refractariorum pœnam pro-
bet, quod ex eodem totidem verbis transcribo :
L. 1. de
Virg. Memorix nostræ puella dudum nobilis in seculo,
nunc nobilior Deo, cum urgeretur ad nuptias à pa-
rentibus & propinquis, ad sacrosanctum Altare,
confugit : quò enim meliùs Virgo recurreret,
quàm

„quàm ubi sacrarium Virginitatis offertur? ne is
„quidem finis audaciæ, stabat ad Aram Dei, pудо-
„ris hostia, victima castitatis: nunc capiti dexteram
„Sacerdotis imponens, precem poscens: nunc justæ
„impatiens moræ ac summum Altari subjecta verti-
„cem, num meliùs (inquit) mater tu me quàm Al-
„tare velabis, quod sanctificat ipsa velamina? plus
„talis decet flammeus, in quo caput omnium Chri-
„stus quotidie consecratur. Quid agitis vos propin-
„qui? quid exquirendis adhuc nuptiis sollicitatis
„animum? jam dudum provisus habeo. Sponsum
„offertis? meliorem reperi: quolibet exaggerate di-
„vitas, jactate nobilitatem, potentiam prædicare:
„habeo eum, cui nemo se comparet, divitem mun-
„do, potentem imperio, nobilem cœlo: si talem ha-
„betis, non refuto optionem: si non reperitis, non
„providetis mihi, sed invidetis. Silentibus cœteris
„unus abruptiùs: quid si, inquit, pater tuus viveret,
„innuptam te pateretur manere? tum illa majori re-
„ligione, moderatiore pietate, & ideo fortasse defe-
„cit, ne quis impedimentum posset afferre. Quod
„ille responsum de patre de se oraculum maturo sui
„probavit exitio: ita cæteri eadem quisque metuen-
„tes, favere cœperunt, qui impedire quærebant.
Hæc sanctus Virginum pœdagogus.

Nolite itaque, Parentes, invito Deo Filias vestras
obtrudere, neque denegare exposcenti, exemplum
habetis in parentibus beatissimæ Virginis Mariæ: ne-
que vos Virgines Deo trahenti reluctemini: at si in
numerus Angelorum suorum vos vocet, ad exem-
plum Beatissimæ Virginis alacriter & hilariter hæc
Scalas conscendatis. Sunt qui vos detinere nituntur?

amplius ad Dominum Scalæ innixum attendite, quàm ad homines: sic fiet, ut qui nunc hasce Scalas ascenditis, ad amplexus sempiternos Sponsi cœlestis aliquando perveniatis.

in Psal.
126.

L. de vera
innocentia
c. 251.

Nunc ad Angelos Ascendentes transeamus, qui quid velint, ante intelligere non licebit, quàm quid ex sensu SS. PP. sit *Ascendere* cognoverimus: de quo consultus à me S. Augustinus, pluribus in locis idem esse ac in virtutibus proficere nomine omnium respondit: audite ipsum Sanctum Doctorem: „Ascendit omnis qui proficiat, cadit omnis qui deficit: nec pedibus ascendere quæras, nec pedibus te, descendere putes: amando Deum ascendis, amando seculum cadis. Ascensionum ad Deum gradus, sunt puritatis affectus: iter tuum voluntas tua est: amando accedis, negligendo recedis: constitutus in terra Deo jungeris, quia quæ Deo chara, sunt diligis. Inde jam cum eodem Præsule quid hi *Angeli Ascendentes* adumbrent licet colligere, nempe in virtutibus proficientes: sic namque relatâ Patriarchæ visione in titulum Psal. 119. commentans concludit: *Possumus putare Ascendentes visos, Proficientes* quod & ibidem paulò post reiterat: *Ascendentes qui sunt? qui proficiunt ab intellectu spiritualium.* *Angeli* itaque *Ascendentes*, in virtutibus proficientes adumbrant, seu potius suo ascensu obligationem ad profectum Virginibus designant, de qua nunc latius agendum: quamque aliunde non deduco, licet sese offerant quàm plurimæ ejusdem scaturigines, quàm ex ipso vestro Statu: eam namq; hætenus Scalam diximus in Ecclesiæ suæ domo à Christo erectam: quis autem Scalæ usus? nonne ad ascensum? hunc tollas,
nec

nec illa te indigere agnoscis: adeoque hinc colligite
 cum eam vobis is erexerit, vosque sua vocatione in
 ea posuerit, necessario vos per eam ad se quotidie de-
 bere ascendere, tot virtutum actibus juxta D. Ber- *Epist. 53.*
 nardum, quot gradus occurrunt, idque S. Paulus, licet
 aliis verbis, inculcat: *Virgo cogitat quæ Domini sunt,* *1 Cor. 7:*
quomodo placeat Deo, ut sit sancta corpore & spiritu. *34.*
 Attendendum ad verba Apostoli non dicentis: cogi-
 tabit aut cogitavit sed *cogitat quæ Domini sunt, ut sit*
sancta, i. e. in virtutibus confirmata corpore & spi-
 ritu, intus & extra: non enim sufficit propositum
 profectus aut principium, sed ejusdem continuatio
 jugis requiritur: *cogitat*, & ad hoc, ut cogitet om-
 nesque vires suas exserat, ex vi Status est obligata:
 nunquam cessare, nunquam intepestere ei in obse-
 quio divino, licitum, sed continuo progrediendum:
 „Divinis rebus mentem intendant, (urget S. Ambro- *in Exhort.*
 „sius in illud: erunt sicut Angeli Dei,) & tanquam *ad Virg.*
 „exuti corporis infirmitate non quæ hominis sunt,
 „sed quæ Dei sunt cogitent. Angelos in Scala con-
 spicite, non quiescentes sed *Ascendentes* videtis, atque
 in iis quid vobis hisce Angelis delineatis agendum
 deducite: *Non est stare omnino in pendulo fragilis Sca-* *Epist. 91.*
la, præmonet D. Bern. *si attentas stare ruas necesse est:*
minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult, &
ubi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.
 Quod respiciens D. Cyprianus inter alias Virginitatis *L. de bono*
 descriptiones hasce posuit: *Virginitas quid aliud est* *pudicitia.*
quàm futuræ vitæ gloriosa meditatio: quid autem in
 ea agendum, nisi jugiter assistendum Deo? *Virgi-*
nitatis est perseverans infantia, eò quod hæc Deo ju-
 giter adhærendi obligationem inducat, quomodo

matribus suis adglutinantur infantes : Disce itaque Virgo per hasce Scalas quotidie te insinuare in cœlestium Spirituum Choros, disce ascendere & veluti infans quotidie accurrere in brachia & amplexus Domini Scalæ innixi; non nudo nomine tibi blandiaris, *ex D. Ambrosio in Instit. Virginis c. 17.* *neque enim solitaria dos pudoris est*, sed ad virtutum exercitia obligatio sub nomine tecta te provocet : notum, est scientiæ vel artis alicujus nomine indignum, qui in ea exercitatus non est, vel se non exercet : idem & vobis quæ spirituales dici amatis applicate, nisi in operibus piis continuò vos exerceatis : quæ oleum in vasis non habebant, licet lampades haberent, *Matth. 25. c.* Virgines quidem sed fatuæ appellantur, ut insinuetur à Virgine amplius quàm fucum vestis & nudam continentiam desiderari : flamma dilectionis & oleum bonorum operum adsit necesse est, si cum lampade Virginitatis ad cœlestes nuptias Virgo intrabit : *Epist. 8. ad Demetr.* Felix illa conscientia (scribit D. Hieronymus) & beata Virginitas, in cujus corde præter amorem Christi, qui est sapientia, castitas, patientia, atque justitia, cæteræque virtutes, nullus alius versatur amor. Optarem omnium vestrum cordibus hæc me posse insculpere, & ut altius infigantur, capite hæc duo Statui vestro annexa privilegia.

Primum est eo die quo hunc, Deo vos consecrantes, inchoastis, plenariam vobis omnium peccatorum vestrorum factam remissionem, cujus præter alios testis est S. Hieronymus, tam ad Paulam super obitum Ble- *Epist. 25.* sillæ Filix, quàm ad Demetriadem Virginem. Hoc *Epist. 8.* Privilegio ex D. Thoma gloriantur Religiosi, idque *2. 2. q. ult. a. 3.* multis deprædicat in Antiquario Monastico *Epist. 4.* Nebridius à Mundelheim, neque ipsis invidemus, *ad 4.* sed

sed & vobis asserimus, & cum D. Hieronymo applicamus, qui id secundum baptismum appellat: ut autem baptismus primus, qui est janua quâ in Ecclesiam intratur, tollit peccata omnia, etiam ea quæ ante eum, si adultus sit baptizandus, admisit, omnemque peccati reatum, eò quòd sit quædam spiritualis regeneratio: ita quoque eadem postmodum admissa delet hic Baptismus secundus, quo desinens esse quod erat in seculo, quasi renascitur Deo: ex quo capite Paulam in obitu filix suæ Blefillæ solatur D. Hieronymus: *eò quòd secundo quodam modo propositi se baptismo laverit.* Sed quod propriè facit ad rem nostram, ut ratione baptismi obligatur baptizatus, ut induat novum hominem, Christi Legem profiteatur, ejusque virtutes imitetur: ita & secundo hoc propositi Virginalis baptismate nova & arctiori ratione ad hoc studium obligatur, & eò ampliùs quòd per illud in perfectiori statu collocatur: „Nunc autem quia „seculum reliquisti & secundo post Baptismum gratias „du inisti pactum cum Adversario tuo, serva fœdus „quod pepigisti, ad Demetriadem scribit S. Hieronymus. Scias itaque tum expeditas omnes tuas præteritas rationes cum Deo, ideòque te ab eo tempore novum inchoare Codicem, in quo non nova debita annotes sed merita & lucra: novamque ducendam tibi vitam tali statu dignam. Virgines selectæ pro Assuero Rege ad eum non ingrediebantur nisi post- *Hester 2. c.* quam veteres vestes deposuissent seseque novis exornassent: estis in Scala hac, & ingressuræ seu potiùs ascensuræ ad Regem illum ei innixum, veteres lacinias in primo ascensu exuistis, novis omnimodæ virtutis ornamentis vos induatis necesse: *Astitit Regina Ps. 44. 10.*
à dex-

à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate: talis fit oportet, quæ dignè ascendet.

Secundum est, divinæ gratiæ abundantia Statui vestro annexa: non loquor jam de ea, cujus copiam ex ipso fonte, Eucharistiâ scilicet, fugitis & hauritis, sed de illa tantum quam ratione Status vestri vobis debet gratiarum Author; eo enim ipso ac vestra crescit obligatio, crescunt etiam auxilia divina: *Ascensiones in corde suo disposuit: etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem videbitur Deus Deorum in Zion.* Facit huc quod in laudem castitatis fratris sui Satyri in ejus exequiis dixit S. Ambrosius, ubi eum eliganti periphrasi vocat *virtutum parentem*: quæ parens dicitur? an non illa sola, quæ prolem enititur? Virginem divinæ gratiæ semen fecundat, virtutes enitatur necesse est: & ut natura puerperæ lac suppetat, ut proles enutriat, ita, lacte divinæ gratiæ animæ vestræ ubera intumescunt, quò adeptas virtutes perficere possitis: in necessariis nunquam deest Deus: qui Scalam vestram erexit, in ea vos collocavit, ad ascensum vires etiam suppetabit.

Cum venia vestra à vobis peto, an huic vestræ obligationi à prima Status inchoatione usque hodie satisfeceritis? Si sic, certè congaudeo: sed timeo de multis quod non, seu potius mecum plures experiuntur contrarium: habet hîc locum quod notat Thomas de Kempis: „Si omni anno unum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur, sed, modò è contrario sæpe sentimus, ut meliores & puriores in initio conversionis nos fuisse invenimus, quàm post multos annos professionis: fervor, & pro-

*Psal. 83.
7. & 8.*

*De Imit.
I. c. II.*

„ & profectus quotidie deberet crescere, sed nūc pro
 „ magno videtur, si quis primi fervoris partem possit
 „ retinere. Examinet se quæque suoque se iudicio
 dijudicet: si quæ se reamprehenderit, & consilium
 expetat ex eodem subnecto: „ Si modicam violen-
 „ tiam faceremus in principio, tunc postea cuncta
 „ possemus facere cum levitate & gaudio: patet id in
 simili: infantes licet pedes habeant & crura, tamen ni-
 si ducti progredi non possunt, assueti verò progres-
 sui, paulatim, quamvis tardè, progrediuntur, ac tan-
 dem currunt pro libitu. *Nemo repente fit summus,* *Serm. 1. de*
ascendendo non volando apprehenditur summitas Sca- *S. Andrea.*
lae, observat D. Bernardus. Infantes seu renatas vos
 dixi ad vitam spiritualem in initio suscepti Status ve-
 stri: si tum cum difficultate quadam proficiatis non
 miror, at si progressum tentetis ut tenemini, per hanc
 Scalam mysticam non ascendetis sed curretis. Legere
 non potest tyro, necessarium ut primò literas discat
 earumque copulas, tum distinctè & sine hæsitazione
 recitabit quæcunque: inde exemplum desumite
 quod imitemini: exercitium profectum & perfectio-
 nem parit. *Quomodo enim sine exercitio doctrina aut* *Ex S. Am-*
sine usu profectus? *bro siol. 1.*
de Off.
c. 10.

§. VII.

De Angelis Descendentibus.

EOs *Ascendentes* vidimus, videbimus modò *De-*
scendentes: & ut benè videamus, attendenda D.
 Augustini annotatio, non visos decidentes, sed *de-* *In Titulū*
scendentes. „ Non enim frustra non dictum est Ca- *Pf. 119.*
 „ dentes sed Descendentes: multum autem interest
 inter

inter descendere & cadere, nam quia cecidit Adam, ideo descendit Christus: ille cecidit superbiâ, hic descendit misericordiâ. Adeoque ex eodem in benigniori hoc sensu exercitium mortificationis denotat hic descensus, quo in se & ad se anima descendit.

Descende ut eleveris, noli extolli, ne elidaris, monet

In Ps. 41. idem Hipponensis Præsul. Vides itaque ô Virgo Angelos descendentes? vides præambulones, quos subsequaris: Pædagogos vides, quorum instructionem exequaris: vides monitores, qui suo te descensu spiritali hunc descensum edoceant, quo in te descendas, vitia tua & imperfectiones confideres, easque amore perfectionis extirpes & eradices. Virgines multæ sunt, quæ suo se officio abundè satisfacere existimant, si Horas Deiparæ recitent, quotidie Sacros interfint, statutis diebus ad exomologesin & sacram synaxin accedant, aliâque exercitia observent: earum sollicitudinem laudo quidem, sed & amplius requiro, non enim hæc sufficiunt, sed & necessarium, ut amorem proprium elimines, quo plenum est cor tuum: ut sensualitatem supprimas, cui nimis pertinaciter adhæres: ut odium, invidiam, æmulationemque extirpes, quibus contra proximum flagras: ut murmurationes, obloquia, rixas, detractiones aliaque vitia linguæ devites, quibus obnoxia es: ad hæc Virgo descendat necesse est, quæ in hac Scala dignè ambulabit, eumque descensum à descendantibus Angelis addiscat: Schola namque est status Virginalis, ubi æquè descendenda vitia, ac addiscendæ virtutes: „Sume igitur, alas Virgo, sed spiritus, ut supervoles vitia, si contingere cupis Christum: monet proinde D. Ambrosius: Isque in Oratione funebri in obitu Valentiniani

*L. 1. de
Virgin.*

niani

niani Imperatoris omnium Ordinum testatus tristitiam de Virginibus scribit, quòd *sunt Lilia myrrha plena, candorem integritatis & mortificatæ corporalis illecebræ gloriam præferentes*: hæc tua gloria, si domina sis vel esse labores tuarum passionum, easque sub imperio teneas. Liliū es, sed ut sis myrrha plenum, ad id necessaria tui ipsius subactio & victoria, myrrha namque à corruptione præservat, à qua si & tu liberari desideres, hac mortificationis myrrha te condias necesse est. Sed quia ex D. Ambrosio Virgines Lilia diximus non ingratum suspicor Sanctum Augustinum fusiùs id declarantem audire cuius hæc sunt verba: „Potest Liliū nomine unaquæque Virgo significari: Liliū siquidem flores reliquos candore nimii nitoris præcellit, & odoris nihilominus jucunditate præpollet, unde satis congruè virgineo assimilatur decori: iste namque flos altiùs, à qua ortus est, tellure sustollitur, & reportandus ad æthera totus aperitur, à foris quoque nimis candidus, intùs verò rutilo flammescit aspectu, habens præterea quasi quendam permanentem in medio flosculum: sic nimirum Virginitas toto à visu ab infimis ascendens ad ea quæ superna sunt ambit: candescit exterius munditiâ Virginæ carnis, flammescit interiùs amore geminæ charitatis: flagrat passim odore bonæ opinionis: extollitur ad sublimia intentione continua cordis. Sed hoc pretiosum germinis Liliū, sicut sacra perhibet Lectio, inter spinas invenitur, ut noverint Venerandæ Virgines, & hominum se debere tolerare molestias inter quos degunt, & punitionum tentamina malignorum fortiter exsuperare spirituum, ut per hoc

*Serm. 1. de
Assumpt.
Virg. Mariae.*

Cant. 2: 21

hoc à Domino amicè inter filias vocari me-
reantur. hæc ex Sancto Doctore. Nonne id ra-
tioni consentaneum est? quo namque animo Sta-
tum vestrum inchoastis? nonne, ex D. Paulo, ut co-
gitaretis quæ Domini sunt, quò sanctæ essetis corpo-
re & Spiritu? fuit alia vestra intentio? sinistra fuit:
unde nec mirum si à mala arbore prodeant mali fru-
ctus. Audite eundem Antistitem: „Non grande
onus impositum est Virginibus, major amor impo-
suit majus onus. Virgines, quod licebat, nolue-
runt, ut plùs placerent ei, cui se devoverunt. Am-
bierunt illam pulchritudinem cordis sui, tanquam
Deo dicentes: quid jubes? ne adulteræ simus?
plus facimus amando te, quàm jubes. Illæ ergo,
quibus terrenæ nuptiæ viluerunt, quæ terrenos
amplexus non desideraverunt, usque adeò accepta-
verunt præceptum, ut non recusarent consilium:
ut plùs placerent, plùs se ornaverunt. Ecce Virgi-
nes hic scopus vester, hoc debet esse studium ve-
strum, nempe placere Deo. Quæro autem an de-
fectus & vitia tua, quorum mancipium es, Deo
placeant an displiceant? placere si dixeris, tua te con-
scientia convincet: sin autem displiceant, vides jam
quantopere te astringat Vocatio tua, quò ea ex tee-
vellas & ad ea evellenda in hac Scala descendas.

Ut autem hoc ampliùs capias, attende ad ordi-
nem, quem Angeli in Scala teneant: *Vidit Angelos
Dei ascendentes & descendentes per eam.* Vides non
priùs descendentes sed ascendentes, & tum descen-
dentes: anima namque gressibus sinceri amoris pu-
rissimæque intentionis ascendens ad amplexus Do-
mini Scalæ innixi, suas videns maculas quibus detur-
para

1 Cor. 7:
34.

Serm. 18.
de verbis
Apost.

Gen. 28:
12.

pata est, suos defectus qui eam Sponsi præsentia indignam reddunt, suas imperfectiones quæ venustatem suam obscurant, suam à cœlesti Sponso dissimilitudinem quocum copulari affectat, tam multa quæ ei etiamnum displiceant, cui se placituram devoverat, quantocius descendit ut hæc tollat, expungat, abstergat. Assumit quidem ornamenta virtutum, sed quia hæc minorem gratiam conciliant nisi abstersæ sint animæ maculæ, quæ similitudinem cum Sponso obfuscant, suo nitori strenuè incumbit, quò respiciens D. Cyprianus hunc Statum eleganter vocat Dei Imaginem: *Dei Imago respondens ad sanctimoniam Domini*. Et S. Basilius: „Magnum revera quiddam ac præclarum Virginitas est, quæ, ut totum simul explicem, hominem incorruptibili Deo simillimum facit. Ut similitudinem incorruptibilis Dei (paulò post subnectens) in se veluti in speculo mundissimo, ipso jam gratiis suis suavissimi radii in morem illi influente, speciem & laudem suam consequatur. Multæ sunt quæ se ab osculis & amplexibus divinis arceri sentiunt & lamentantur, at nesciunt suâ id culpâ fieri, quia in amplexus divinos non satis lotæ, sed sordibus imperfectionum obsitæ irruunt: amat ille Sponsus non solum ornatas virtutibus, sed & quæ sine maculis sunt & defectibus: interrogate vosipsas, an non ex hac scaturigine prodeat vestra cordis ariditas, & verum me dicere fatebimini.

Itaque Virgines Deo sacræ hunc spirituales descensum æquè necessarium atque utilem ab Angelis descenditibus addiscite, seu potius vestram ad eum obligationem in iisdem agnoscite: abstergite imper-

D

fectio-

De Hab.

Et Disc.

Virg.

L. de Vir-

ginit.

fectionum maculas, evellite vitiorum zizania, si firmiter sint radicata, nec cedant ad primum tractum, eum iterate & continue, cedent constantiæ. Ascendite alacriter, sed & descendite humiliter: quæ ad amplexus cœlestis Sponsi invitamini, pudeat vestra vos culpâ ab iis arceri. Sit ut docuit S. Cyprianus *ve-*
L. de bono pudicitia. *stra Virginitas voluptatum triumphus.*

Sed ad Angelos Descendentes redeamus, &, qui suo descensu adumbrent secundò, contemplemur quod antequam fiat, necesse est, cujus sæpius nobis profuit instructio, ad D. Augustinum recurrere, & quæ ulterior mystici Descensus significatio ab eo exquirere: de quo consultus respondet, descendere idem esse ac decidere, adeoque hosce descendentes Angelos delineare eas, quæ non modò in virtutibus deficiunt, sed &, quod plerumque confectarium est ab ipso statu: ita namque hanc ipsam Visionem sanctus Doctor interpretatur: qui cùm dixisset: „Possumus putare Ascendentes visos Proficientes, (mox subnectit) Descendentes, Deficientes, quia & revera invenimus hoc in populo Dei, alii proficiunt alii deficiunt. Neque mirum eas Angelis significari cùm notum sit, & hosce è cœlis deciduos et pulcherrimis Spiritibus factos teterrimos dæmones. Hic aliud non habeo quod dicam, quàm illud Apostoli: *Qui se existimat stare, videat ne cadat*: & ut bene provideatis, non inconsultum arbitror vobis exhibere, quid de Deciduis scripserunt Virginum Magistri: docent autem ii omnes, quos ego revidi, uno ore Virgini Deo consecratæ illicitum redire ad seculum, à Statu suo deficere, transire ad nuptias, è quibus S. Chrysostomus in illud Apostoli: *Si nupserit*

*In Titulũ
Ps. 119.*

*Luc. 10:
18.*

*1 Cor. 10:
12.*

*1 Cor. 7:
28.*

Virgo, non peccavit: „ Neque de ea, quæ sibi elegit
 „ Virginitatem, loquitur, tum enim peccaverit: nam
 „ si Viduæ, quæ secundis se nuptiis alligarunt, judi-
 „ cium subeunt si semel viduitatem elegerint, multò
 „ magis Virgines. Quas proinde *piaculum commissis-*
 „ *se & quidem grande*, alibi denuntiat D. Hierony- *L. de Virg.*
 „ mus: „ Illos dicit non peccare si nubant, qui non-
 „ dum Deo voverint castitatem: cæterum *qui vel* *Ibid.*
 „ *in corde suo promisit*, si aliud fecerit, habet damna-
 „ tionem, quia primam fidem irritam fecit. S. Ful- *Epist. I. ad*
 „ gentius: „ Non peccet Virgo quæ nubit, invenitur *Gallam.*
 „ aliqua Virgo peccare si nupserit: non enim pec- *c. 6.*
 „ cat Virgo nubens, si Virginitatem Deo, priusquam
 „ nuberet, in corde non vovit: cæterum si, quem-
 „ admodum dixit Apostolus, statuit in corde suo fir-
 „ mus non habens necessitatem, potestatem autem
 „ habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde
 „ suo servare virginitatem suam, graviter postmo-
 „ dum peccat, si post dicatam Virginitatem Deo vo-
 „ luerit humano servire connubio: nam & Viduas
 „ quasdam B. Paulus vinculo pronuntiavit damna-
 „ tionis obstrictas, quia scil. post continentiae pro-
 „ fessionem nubendi receptam non abjiciunt volun-
 „ tatem, de quibus vitandis Timotheum sic instruit:
 „ Adolescentiores autem Viduas evita, cum enim
 „ luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt haben-
 „ tes damnationem, quia primam fidem irritam fe-
 „ cerunt: adimit igitur concumbendi licentiam con-
 „ tinentiæ promissio, nec sola talibus fornicatio inter-
 „ dicitur, sed etiam maritalis admixtio prohibetur,
 „ & prævaricatricem voluntatem tenet culpabilis ne-
 „ xus, etiam si nullus in opere consequatur effectus:

*Epist. 92.
ad Rusti-
cum.*

c. 12.

c. 13.

c. 14.

*L. de Bono
Viduitatis
c. 8.*

c. 9. ibid.

neque enim frustra scriptum est, quia concupiscen-
tia cum conceperit parit peccatum. D. Leo : „ Ele-
ctionem meliorum deseruisse transgressio est: Puel-
læ, quæ non coactæ parentum imperio, sed spon-
taneo iudicio Virginitatis propositum atque habi-
tum susceperunt, si postea nuptias eligunt, præva-
ricantur etiam si consecratio non accessit: ambigi-
verò non potest crimen magnum admitti, ubi &
propositum deseritur & consecratio violatur: nam
si humana pacta non possunt impunè calcari, quid
eis manebit qui corrumpunt fœdera divini Sacra-
menti? S. Augustinus : „ Volo juniores nubere,
filios procreare, matres familias esse, nullam occa-
sionem dare adversario maledicti gratia, jam enim
quædam conversæ sunt retro Satanam: ut his ver-
bis ejus intelligamus eas, quas nubere voluit, me-
lius posse continere quàm nubere, sed melius nu-
bere quàm retro post Satanam ire, i. e. ab illo ex-
cellenti virginalis vel vidualis castitatis proposito
in posteriora respiciendo cadere & interire: pro-
inde quæ se non continent nubant antequam con-
tinentiam profiteantur, antequam Deo voveant,
quod nisi reddant jure damnantur. Alio quippe
loco de talibus dicit: Cum enim in deliciis egerint
in Christo, nubere volunt habentes damnationem,
quoniam primam fidem irritam fecerunt, i. e. vo-
luntatem ad nuptias à proposito continentia de-
flexerunt: irritam quippe fecerunt fidem, quâ
prius voverant quod perseverantiâ implere nolue-
runt. Sed quoniam, sicut ait Dominus: non om-
nes capiunt verbum hoc, quæ potest ergo capere ca-
piat: quæ se non continet nubat, quæ non cepit
deli-

„deliberet, quæ aggressa est perseveret, nulla adver-
 „sario detur occasio, nulla Christo subtrahatur obla-
 „tio. In conjugali quippe vinculo si pudicitia con-
 „servatur damnatio non timetur, sed in viduali &
 „virginali continentia excellentia muneris amplioris
 „expetitur, quâ expetitâ & electâ & voti debito ob-
 „latâ jam non solum non capescere nuptias, sed
 „etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est:
 „nam ut hoc demonstraret Apostolus, non ait: cùm
 „in deliciis egerint, in Christo nubunt, sed nubere
 „volunt, habentes, inquit, damnationem, quoniam
 „primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo,
 „sed tamen volendo: non quia ipsæ nuptiæ vel ta-
 „lium damnandæ judicantur, sed damnatur propo-
 „siti fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non
 „susceptio à bono inferiore, sed ruina ex bono supe-
 „riore: postremò damnantur tales non quia con-
 „jugalem fidem posterius inierunt, sed quia conti-
 „nentiæ primam fidem irritam fecerunt: quod ut
 „breviter insinuet Apostolus, noluit eas dicere ha-
 „bere damnationem quæ post amplioris sanctitatis
 „propositum nubunt, non quia non damnentur,
 „sed ne in eis ipsæ nuptiæ damnari putarentur: sed
 „cùm dixisset: nubere volunt, continuò addidit ha-
 „bentes damnationem: & dixit quare: quoniam
 „primam fidem irritam fecerunt, ut voluntatem quæ
 „à proposito cecidit, appareat esse damnatam, sive
 „subsequantur nuptiæ sive desint.

Deo quippe seipsam obtulit in Sacrificium non
 quodcunque sed Holocaustum, quod ex præscripto
 legis totum Deo cedebat flammis abolendum, qua-
 le est Virgo Deo consecrata, quamdiu est, igne di-

vini amoris debet ardere eique immori & absumi, est
Isai. 61. 8. namque Deus odio habens rapinam in Holocausto,
 Christo desponsata est, quo fundamento præcipue
 innituntur SS. PP. ideoque alium Sponsum quærere
 aut admittere nullatenus potest: mulieri enim si nu-
 psit non permittitur primo marito superstite virum
 alium accipere, cum autem Christus Virginum Spon-
 sus nunquam moriatur, neque unquam licebit ei al-
 teri se Sponso conjugare, cum is eam inter & se con-
 tractum initum nunquam rescindat: ideoque unani-
 miter excepto uno Augustino statuunt eas sacrilegi
 ac gravissimi adulterii reas: Sacrilegii quidem, quod
 rem Deo sacram eidem suffurentur ac aliis tradant:
 Adulterii autem, quod, cum Deo copulatæ sint,
 alienum virum admittant, adeoque verum esse non
 posse matrimonium, sed *stupri scelus honesto conjugii*
nomine obtegere cupiunt, ex D. Basilio: qui & addit:
L. de Vir- Nec sanè video qua ratione, imò quo sacrilegio,
ginit. ipsa pro immortalis viro Dei Filio mortalem homi-
 nem in malum suum ambire præsumat ante viri
 oculos in ipsum impuris & nequissimis semper am-
 plexibus impia. Neque enim prolapsæ ad volupta-
 tem quicquam ad excusationem proderit umbra
 solatiumque conjugii, neque viventem virum sub
 prætextu conjugii non soluta circumvenire aut fal-
 lere poterit, qui mortalem hominem post eximios
 illos, quos ab eo perceperat, honores impiè per ad-
 ulterii nefas in honorem prætulit. Nec sanè in-
 congruè his quæ sunt ejusmodi illud Apostolicum
1 Timoth. aptari potest: quoniam cum fornicatæ à Christo
5: 11. & fuerint, nubere volunt habentes damnationem,
12. quoniam primam fidem irritam fecerunt, *non con-*
jugiuntur

„jugium sed adulterium malè consummantes. „Virgi-
 „nes tuæ, Joviniano objicit S. Hieronymus (quas *L. 2. c. 19.*
 „prudentissimo consilio, quod nemo unquam lege-
 „rat, nec audierat de Apostolo docuisti: melius est
 „nubere quàm uri) occultos adulteros in apertos
 „verterunt maritos: non suavit hoc Apostolus, non
 „electionis Vas: Et si nupserit Virgo non peccavit: *L. 1. ad-*
 „non illa Virgo, quæ semet Dei cultui dedicavit, ha- *versus*
 „rum enim, si qua nupserit, habebit damnationem, *Jovin.*
 „quia primam fidem irritam fecit: si autem hoc de *c. 7.*
 „Viduis dictum objecerit, quantò magis de Virgi-
 „nibus prævalebit, cùm etiam his non liceat, quod
 „aliquando licuit: Virgines enim quæ post conse-
 „crationem nupserint, non tam adulteræ sunt quàm
 „incestæ. „Bonum quidem nuptias & ipse confi-
 „teor, (Theodoro scribit D. Chrysostomus) hono- *Epist. 6.*
 „rabiles (inquit) nuptiæ & cubile immaculatum,
 „fornicatores autem & adulteros judicat Deus. Sed
 „te jam servare non convenit privilegia nuptiarum:
 „Angelorum enim societati semel junctum illam
 „relinquere & uxorum laqueis implicari adulterii
 „crimen incurrere est: quamvis frequenter hoc ip-
 „sum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud
 „tantò pejus affirmo, quantò major ac melior mor-
 „talibus Angelus. Neque ullus tibi fortè persuaserit
 „dicens: nihil de non accipienda uxore Dominus
 „præcepit: nec me ignorare confiteor, quòd adul-
 „terium interdixit, non nuptias vetuit: verùm in
 „te adulterii nomen accipiet, si volueris unquam,
 „quod absit, nuptias cogitare: & quid mirum, si
 „nuptiæ tales, quibus offenditur Deus, adulterio
 „comparantur? S. Augustinus, ut antea mone-

*L de Bo-
no Viduit.
c. 10.*

bam, licet improbet hoc fundamentum, idem ta-
men, quod ex eo alii PP. statuunt, approbat & urget:
qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, sed po-
tius adulteria, non mihi videntur satis acutè ac dili-
genter considerare quid dicant: fallit eos quippe
similitudo veritatis, quia enim conjugium Christi
dicuntur eligere quæ Christiana sanctitate non nu-
bunt, hinc argumentantur quidam dicentes: Si vi-
ro suo vivo quæ alteri nubit, adultera est, sicut ip-
se Dominus in Evangelio definivit, vivo ergo
Christo, cui mors ultra non dominatur, quæ con-
jugium ejus elegerat, si homini nubit, adultera
est. Qui hoc dicunt acutè quidem moventur, sed
parum attendunt hanc argumentationem quanta-
rerum sequatur absurditas: cum enim laudabiliter
etiam vivente viro ex ejus consensu continentiam
fœmina Christo voveat, jam secundum istorum
rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Chri-
stum quod sentire nefas est adulterum faciat, cui
vivente viro nubit: deinde cum primæ nuptiæ me-
lioris sint meriti, &c. Fit autem per hanc minùs
consideratam opinionem, quâ putant lapsarum
à sancto proposito fœminarum, si nupserint, non ef-
se conjugia non parvum malum, ut à maritis sepa-
rentur uxores, quasi adulteræ sint non uxores, &
cum volunt eas separatas reddere continentiæ fa-
ciunt maritos earum adulteros veros, cum suis ux-
oribus vivis alteras duxerint. Quapropter non pos-
sum quidem dicere à proposito meliore lapsas, si
nupserint, fœminas adulteria esse non conjugia, sed
planè non dubitaverim dicere lapsus & ruinas à ca-
stitate sanctiore, quæ vovetur Deo adulteriis esse pejo-
res:

res: si enim quod nullo modo dubitandum est ad
offensionem Christi pertinet cū membrum ejus
fidem non servat marito, quantò gravius offendi-
tur, cū illi ipsi non servatur fides in eo quod exi-
git oblatum, qui non exegerat offerendum? cū
enim quisque non reddit quod non imperio com-
pulsus, sed consilio commotus vovit, tantò magis
fraudati voti auget iniquitatem, quantò minùs ha-
buit vovendi necessitatem. Hæc ideo disputo ne
arbitreris vel secundas nuptias crimen esse, vel quas-
cunque nuptias, cū sint nuptiæ, malum esse.
Non itaque illas abs te damnatas velis esse sed spre-
tas. Bonum ergo continentiae vidualis luculentiùs
debet, cū pro illo vovendo & profitendo possunt
continere foeminae quod & libet & licet: sed post
voti professionem perseveranter frænandum &
vincendum est quod libet, quia jam non licet. Nec *De S. Vir-*
tantum ait: nubunt, sed nubere volunt (idem *ginit. c. 34.*
alibi observat) multas enim earum revocat à nu-
bendo non amor præclari propositi, sed aperti de-
decoris timor, veniens & ipse à superbia, quâ for-
midatur magis hominibus displicere quàm Deo.
Hæ igitur, quæ nubere volunt, & ideo non nubunt
quia impunè non possunt, quæ meliùs nuberent
quàm urerentur, id est, quàm occultâ flammâ
concupiscentiæ in ipsâ concupiscentia vastarentur,
quas poenitet professionis & piget confessionis, nisi
correctum cor dirigant & Dei timore rursus libidi-
nem vincant, in mortuis deputandæ sunt.

Unde cū antea in hæc benigniores essent Ec-
clesiæ Proceres, utpote qui eas post annualem poeni-
tentiam in gratiam recipiebant, Epistola prima Ca-

Epist. 1.
c. 22.

nonica ad Amphilochem Can. 18. eas ut Adulteras puniendas constituit D. Basilius, quarum Poenitentia ut ex Can. 58. constat, quindecim annorum erat: quam & Gelasius Papa præscripsit jubens, non nisi post publicam probatamque poenitentiam omnino non recipi negata interim sacra Communione. Gravior est censura Concilii Colonienfis, sub Carolo Crasso; cui Provinciæ nostra Trajectensis Diocesis tum suberat, quod statuit iis non nisi in fine vitæ dandam Communionem, & tunc etiam subtrahendam, si libidini diu servierint.

Audite hæc quæ aliquando effutitis Kloppas vos esse quousque vultis, atque ex gravitate poenæ perseverantiæ agnoscite necessitatem. Liberum vobis erat in Statu Virginali Deo vos desponsare vel non: at cum id feceritis nequiquam vobis integrum resilire; vinculum illud perpetuum est, quod rumpere non licet: fatalis saltus est ex mystica hac Scala & ejus solummodo consilium, qui Virginum Sponso in pinaculo Templi constituto suggerebat: *Mittete deorsum.*

Cujus Emissarii sunt, quotquot ad sacrilegas nuptias Christi Sponsam pelliciunt: monent proinde Virginum Primates, ne eò audaciæ quisquam proficiat: „Quemadmodum quæ alteri nupta est, eam, concupiscere omnino nefas est (argumentatur, p. 3. c. 10. q. 17. Catechista Romanus) sic quæ ad Dei cultum religionemque consecrata est, nullo pacto licet illam, uxorem appetere. „Quare nullus servus ad id impietatis erumpat (denuntiat D. Basilius) ut Sponsam Domini contingere audeat: nullus adeo insanus ac sacrilegus sit, ut immaculatam hostiam impudicis,

ma-

„manibus tractet : nemo in tantum audaciæ temeri-
 „tatisque profiliat, ut ejusmodi ultionem sacrilegiis
 „impendere considerans, non vasa inanima ex auri
 „argentique materia elaborata, sed animata ipsa, &
 „viva donaria latronis more profanis manibus teme-
 „rare atque incestare præsumat : imò verò nullus
 „adeo impius, atrox impurusque, ut non inanimata
 „Templi vasa, sed ipsum Domini Templum, virgi-
 „neum scil. corpus, ipsamque omnium prætiosissi-
 „mam animam in Templo Deo sacratissimi donarii
 „vice locatam libidinis facibus barbaricâ immanitate
 „succendat. Quod cum quidam commisisset, eum
 „idcirco gravi hac oratione alloquitur S. Ambrosius, *Ad Virg.*
 „cùm jam capitibus alioquot ipsam Virginem esset al- *laps. c. 9.*
 „locutus : „De te autem fili Serpentis, minister
 „Diaboli, violator Templi Dei, qui uno scelere duo
 „crimina perpetrasti, adulterium utiq; & sacrilegium:
 „sacrilegium planè, ubi vas Christo oblatum, Domi-
 „no dedicatum, dementi temeritate polluisti: Baltha-
 „sar ille Rex Persarum, qui in vasis Domini quæ de
 „Templo Hierosolymis fuerant à patre ejus ablata,
 „bibere cum suis amicis & concubinis usurpavit, ipsâ
 „nocte Angeli manu percussus crudeli morte punitus *Dan. 5. c.*
 „est : quid de te arbitraris perditæ pariter & perditor,
 „qui vas rationabile, consecratum Christo, sancti-
 „ficatum Spiritui Sancto impiè temerasti, polluisti
 „sacrilegè ? melius enim fuerat omnino te non esse
 „natum, quàm sic natum, ut te sibi gehenna filium
 „vindicaret ... Do consilium, petas ultrò carcerem
 „pœnitentiæ, obstringas catenis viscera, animam
 „tuam gemitibus jejuniisque discrucies, Sanctorum
 „petas auxilium, jaceas sub pedibus Electorum, &c.
 Ne-

Neque solus Ecclesiasticus, sed & Politicus Magistratus illicitis hisce connubiis sese opposuit ipsa rei indignitate commotus: cùm enim tempore Juliani
L. 6. Hist. Apostatæ ex Sozomeno cœpissent quidam sacras Vir-
Ecl. c. 3. gines in conjuges petere, Jovinianus Imperator Christianus, successor Juliani, legem tulit, quæ extat in Codice. L. Si quis. de Episcopis & Clericis, ut capite plecteretur, qui ad conjugium sacram Virginem follicitare deprehensus fuisset.

Neque hujus peccatum excusat illius voluntas:
L. de Vir- Verùm etsi sponte suâ (ex S. Basilio) se Virgo Spon-
ginit. si fœdera transgressa substernat, cunctaque simul
 & templum & donaria & charitatem Sponsi, communionemque ac societatem Regni perniciosæ voluptatis gratiâ confundere atque calcare nitatur,
Gen. 39. c. noli tamen hujusmodi ad scelus uti, neque te peccati
 communione commacules: nam & eximius ille Joseph Dominæ suæ amoris magnitudine ebriæ ac penè furiosæ seipsum ad impudicitiam minimè permisit. Quod si te renuente alii se Virgo in matrimonii consortium tradiderit, illa poenas sceleris sui luat, tu teipsum mundum atque integrum serva, ne sceleris impii in Dominum particeps fias... itaque etsi illa pessima se mutatione dejiciat ad carnis vitia ultrò devoluta, tu tamen eam noli tangere, vivit enim Vir ejus, neque illam dimittere vult: permitte ut se inspiciat unde sit lapsa, ubinam jaceat, digerat vitium, diluat amorem carnis, confideret diligentius indulto spatio cujusmodi crimen admiserit, quantumque molita sit sceleris, redibit prorsus ad Sponsum suum... quid igitur infelicis anticipas lapsum? quid considerandi peccati

„cati tempus intercipis? quid consilii spatium tol-
 „lis? cur non dimissam à Domino ducens non vi-
 „rum te sed adulterum impiè Domini cubile violan-
 „do manifestas? hæc & plura alia D. Basilius, è qui-
 „bus quid de Virginum apostasia & nuptiis sentiant
 Patres, licet colligere, qui tam acriter adhortantur
 procos, ne non solum eas sollicitent, sed, etsi ipsi so-
 llicitentur, ut rejiciant & repellant Nupturientes.

Nemo igitur licitas Virgini nuptias dixerit, nisi
 quomodo licitum novum conjugium Maritatæ cum
 altero Viro, aut huic cum Conjugata: „Quo in nego-
 „tio (exarat D. Ambrosius) etiam nos vocamur in *L. 3. de*
 „culpam: quam tandem? quia nuptias prohibui- *Virg.*
 „mus illicitas? vocent ergo in eandem culpam etiam
 „Joannem Baptistam: & cum aliud fortè nihil habea-
 „mus quod probetur in nobis, hoc solum contem-
 „netur in nobis quod probatum est in Propheta. An
 „erubescendum protulimus Autorem? quam verò
 „causam aliam habuit ille martyrii? repetite ani-
 „mo: causa illius passionis certè hæc fuit, non licet,
 „inquit, tibi eam uxorem habere. Si hoc de uxore
 „hominis, quantò magis de Virgine Deo consecra-
 „ta? Si hoc dictum est Regi, quantò magis dicen-
 „dum est privatis? Non hîc audiendi Hæretici,
 qui ex Apostolo perperam inculcant Lascivienti-
 bus solatia nuptiarum: *melius est nubere quàm uri:*
 in primitiva namque Ecclesia erant multæ Virgi-
 nes non perpetuæ, sed temporariæ: cum enim
 nollent aliis quàm Christianis nubere, & pauci ma-
 riti Christiani pro numero Christianarum Virgi-
 num essent, fiebat ut augeretur etiam harum Virgi-
 num in Ecclesia numerus, & his S. Paulus ait ut nu-
 bant

Hæres. 59.
§ 61.

Tract. de
Passione
Domini
c. 30.

bant si se continere non possint, ut S. Epiphanius exponit: sed nihil de iis ad nos, qui non de coactis, sed voluntariis Virginibus agimus, quarum Encomiasten agens S. Bern. „Felices Virgines & verè prudentes, inquit, quæ etiam præter commoda temporalia spiritui Domini jungi viciniùs elegerunt, spirituales fœtus, id est, bona opera multò meliùs, uberiùs & securiùs immortalis Sponso suo JESU, non singulis annorum spatiis, sed diebus singulis procreantes: amantes eum in cuius thalamum castissimum duce pudicitia intraverunt, vel quem potiùs in sui cordis thalamum receperunt: ejus vocem organicam in præceptis suis & promissis præmiorum cœlestium audierunt, & loquente Sponso suo sibi per obedientiam responderunt, cuius amor castimoniam, cuius tactus munditiam, cuius nuptiæ Virgines faciunt & conservant. O verè felices, quæ tali Viro non solum animi, sed etiam corporis munditiam consecraverunt! cuius commercio sic in animo fœcundantur, ut omnium virtutum matres efficiantur, quarum filii in domo cœlesti æternaliter habitant, & semen operum ipsarum coram Sponso suo in seculum dirigitur.

L. cit.

Unum penè omiseram, fortè dicturum quempiam, allegata hætenus eas solum concernere, quæ Virginitatis propositum voto stabilierunt, non eas quæ citra Vota hunc Statum inchoarunt, & in eodem hætenus vixerunt: audite de hac exceptione iterum S. Basilium: „Sed enim vafræ istæ quid faciunt, quæ tantum impietatis contra seipsas per carnis flagitia admittere non timuerunt: non modò non lachrymantur aut ingemiscunt, ut vel lachrymis

remit-

„ remittant peccatum suum mitioresque suscipiant
 „ poenas, verum Virginitatem quoque, quam antea
 „ professæ fuerant, abnegant. Quippe Virginitatis
 „ limites transgredi, ut voluptatibus inserviat tur-
 „ pissimum esse plenumque dedecoris non ignoran-
 „ tes, hujusmodi negatione, majore scilicet scelere
 „ Virginitatem solari sese arbitrantur amissam: ho-
 „ mines miserè & infelicitè eligunt, sub quibus ad
 „ excusationem prævaricationis abnegent, quod fue-
 „ rant ante pollicitæ, nec Dominum metuunt, cum
 „ quo fœdera castitatis inierant, cuique dederant
 „ dextras, eò quòd in malorum profunda decide-
 „ rint: ignorant miseræ, quia apud Deum & apud
 „ homines contra se crimen exaggerant: cum hi qui-
 „ dem ex præcedente cunctisque cognito Virginitatis
 „ instituto, quòd se illæ professas esse negant, vesa-
 „ niam summamque impudentiam averfentur atque
 „ oderint: Christus verò præter violata Virginitatis
 „ fœdera hujusmodi negationem, quam vice poeni-
 „ tentiæ patrociniū criminis sumunt, acrius ac se-
 „ veriùs suo illo iudicio vindicet. Hæc ille præter *L. de Vir-*
 „ plura alia de eadem materia in Epistola ad Virginem *ginit.*
 „ lapsam, quæ simili se ratione excusare nitebatur:
 „ Audes pedem conferre & te quicquam cum vero
 „ Sponso pactam esse pernegare? nihilque neque
 „ promississe unquam, neque Virginem te esse, quæ
 „ signa tamen Virginitatis multa partim acceperis,
 „ partem edideris, clamitare? memineris obsecro
 „ egregiæ illius professionis, quam Deo & Angelis
 „ hominibusque ipsis intuentibus professâ es: memi-
 „ neris præclari cum sacro Virginum choro commer-
 „ cii, &c. Ipsâ namque Status inchoatione Deo te
 con-

consecras, nec necessaria ad obligationem perseverantiae alia Vota: peto enim quæ tua fuerit intentio, quando seculari Habitu deposito Virginalem assumpsisti? quando provoluta ante Altare Deo te desponsasti? an ut ad seculum redux Sponsum alium aut quærereres aut acciperes? talem certè fuisse non suspicor: sed divino servitio te velle immori & vivere: quid alia Vota ad hoc necessaria, cùm Deus verba voventis non attendat, sed cor, cui etiam ipsi affectus loquuntur, & quidem soli, testis enim Augustinus, *non esse vocem ad aures Dei nisi animi affectum*, ideoq; Eusebius vocat Virgines *ἀειπῶντες*, i. e. semper Virgines. Itaque Descensum ex hac Scala cave te, Virgines, eum illicitum agnoscite, quomodo tot sacræ Virgines agnovere (quarum Festa celebratis) quæ sanguinem & vitam maluerunt profundere, quàm cedere detrahentibus. *Quid Theclam, quid Agnem, quid Pelagiam loquor?* ait Ambrosius, *quæ tanquam nobilia Vitulamina pullulantes ad mortem quasi ad immortalitatem festinauerunt: Virgo exultavit & rudentes bestias expectavit intrepida.* Angelos descendentes ne sequamini: scitis enim quò illi corruerint: in amplexus Sponsi terreni ne involetis, sed properate ad Cœlestem, qui Scalæ innixus intra brachia sua vos præstolatur.

Denique antequam ab Angelis Descendentibus ad alia transeamus, non caret observatione, Angelos Descendentes non præcipitanter à Scala decidisse, sed pedetentim de gradu in gradum *descendisse*. Quid inde colligitis? quæ vestra hîc consideratio? ego ut meum conceptum edisseram, in iisdem contemplor modum, quo è Scala hac Virgines Deficientes, de

L. de Ca-
techizand.
Rudibus
c. 11.
L. 4. de
Vita Con-
stantin.
c. 28.

in Ps. 104.

quibus superius actum, descendant & redeant ad abjuratas seculi vanitates & nuptias: rarò namque precipitanter decidunt, sed ut plurimum pedetentim de gradu in gradum descendunt, usquequò gradum infimum attingentes in mundum revolvuntur, de quo ad vestram cautelam nunc tractandum, ut qui antea illicitum descensum ex hac Scala ostendi, nunc iis, quæ descendere nolunt, pericula manifestem.

Prima autem dispositio ad descensum est nausea exercitiorum spiritualium, eorum quæ Deum ejusque cultum concernunt: cujus testem habemus D. Bernardum: „Neque verò existimandum est, cum
 „ruinæ alicujus cernuntur, tum incipere damnum,
 „sed quia comederunt alieni robur ejus & ignoravit.
 Aquæ stagnantes in glaciem faciliè concrescunt, non
 item quæ fluunt & agitantur. Novistis defectum appetitus ordinarii esse prodromum morbi: quod experientia ostendit in corporibus, idem in animabus agnoscite: gravioris mali prognostica sunt, si his spiritualia non sapiant, si languidæ & præ languore progredi non valeant: talium descensum & apostasiam formidate: quæ quomodo adolescat audite.

Primò descenditur ad perfunctoriam suorum Exercitiorum recitationem atque observationem, de quo iterum Abbas Clarævallis: „Invenire est
 „homines pusillanimes & remissos, deficientes sub
 „onere, virgâ & calcaribus indigentes, quorum
 „brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, quorum oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione. Non tibi horum
 „vita inferno penitus appropinquare videtur?

Secundò devolvitur ad eorumdem facilem omissionem:

E

nem:

Serm. contra Vitium Indignitatis.
Osee 7: 2.

Serm. 6. de Ascens. Dom.

nem : nunc recitatio Horarum , aliàs Rosarii, modò Meditatio negligitur, omittitur Sacrum, dies Gratiæ, Lectio spiritualis libri, aliaque quæ Regula præscribit. Quod quoties fit, toties descenditur, & cujuslibet omissio unius gradus descensus est. Verum autem me dicere ipsa experientia edoctæ poterunt aliquæ testari : quò enim negligentiores vos habetis eò à Deo magis abalienamini, & quid hoc aliud est quàm in hac Scala descendere.

Tertiò ulteriùs progrediendo : primò sine scrupulo committuntur peccata leviora, deinde ad graviora fit prolapsus : Scitis quid pueribus dicatur, quid parentibus vel aliis furripiant licèt etiam minimi sit momenti, inde scilicet furta ad ampliora eos sumpturos audaciam, à minori ad majora fieri descensum quod Virginibus dictum volo, quæ ubi præmeditata ad minora delicta descenderint, etiam sine scrupulo ad graviora aliquando descendunt : *Qui spernit modicam paulatim decidet* : de quo videatur Rodriguez. Cumque Patri spirituali debeat esse curæ profectus suarum Filiarum, si is ex vi obligationis suæ de descensu tales moneat & corripiat etiam acriùs secundum meritum (non enim minor est obligatio Patris spiritualis, quàm corporalis, ne proles ad deteriora defleant, imò illius multò major quàm hujus, cum anima plus sit quàm corpus ipso Christo teste) descenditur ulteriùs ad infideliter, non sincerè & candidè agendum cum ipso : displicet ipsius cura, imò & Status ipse ac Vocatio, hæret jam in gradu ultimo pes instabilis : tum demum præcipuè suas partes, quod & hætenus, agitur Diabolus : impura immittit phantasmata, carnale ingerit suggestiones, cum sexu dispari incautam suadet

Ecclesi. 19.

Tract. 1.

c. 9. & 10.

Marc. 8.

37.

det conversationem, oculorum sollicitam tollit custodiam, & ut in brachia viri carnalis inolet Sponsa Christi, defilit ex hac Scala: *adieu illoppe*: cui proinde applicari potest illud Jeremiæ in Threnis, *qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*: nonne & Virgines nutriuntur in croceis, quas seipso quasi saginat in Sacramento Eucharistiæ Virginum Sponsus, quod Electorum frumentum dixit Zacharias? nutriuntur itaque Virgines, sed nutriuntur in croceis, dum eodem Sacramento quo nutriuntur etiam adornantur: habet ibi Anima quo vitam spiritus foveat: habet & ibidem, quo se divinæ gratiæ indumento vestiatur & ornet, quod fortè respexit D. Athanasius cùm ab eo diceretur Virginitas *Opulentia indeficiens*: quibus namque eæ divitiæ eaque opulentia, ut exhauriri non possint, sibi comparare possunt, quæ volunt in cibis, in indumentis & aliis: tales in spiritualibus Virgines: Virginitas *opulentia indeficiens*: non est hyperbole, sed ipsissima veritas, quomodo namque penuriam vel defectum pateretur, quæ omnium gratiarum fontem jugiter manantem per manum Sacerdotis collocatum habet in suo pectore? quæ si à spiritu quo incepit ad carnem devolvatur eaque consummetur, an non stercora amplexatur? *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora*. Quid namque aliud est homo, non à morte solùm, sed & dum adhucdum in vivis est? & ut amplexari te stercora scires, quæcunque, dum ureris, non curas incendia extinguere, sed libidinis ignem amplius exsufflas, ideo ad copulam carnalem ea Deus instrumenta ordinavit, per quæ veluti canales è sterquilinio humani corporis fordes

c. 4. v. 5.

c. 9. v. 17.

L. de Virginit.

Gal. 3:3.

Thren. 4:5.

educuntur. Delicientur itaque in fimeto voluptatis, quæ carnis delicias præferunt deliciis spiritus: fruuntur amplexibus viri non semper blandientis, sed verberonis sæpius, rarò namque pacifica hæc conjugia, exempla ad probam minimè necessaria, cùm plura obvia sint, quibus non satiffacit amplexus Sponsi cœlestis: maneat in terra, quæ per hæc Scalas ad cœlum ascendere noluerint.

Ad vos redeo quæ in hisce Scalis constitutæ ascensum cogitatis non descensum, & redux quid aliud dicam vel inculcabo quàm ut ab iis vobis caveatis per quæ fit descensus. Primò itaque tanquam fundamentum profectus vestri maneat in vobis constans desiderium Deo indies ampliùs & ampliùs deservienti, quod ut initium fuit, cùm Statum vestrum inchoaretis, sit etiam in eodem jam arrepto continuus stimulus & calcar ad profectum. Secundò à Superiore præscripta exercitia non solùm cum attentione debita suo tempore persolvite, sed & studiosè cavete, ne eadem quandoque otiosè omittatis, intendit foris cedere qui rebus suis non sollicitè advigilat, qui non prudenter ambulat, de casu periclitatur. Vestes novæ servantur mundæ, sed ubi sordidatæ fuerint, exigua aut nulla pro iis cura habetur: & quare, nisi quia brevi deponentur? ideoque nec resarciuntur, imò neglectæ sæpiùs neque resarciri possunt. Estote insuper providæ semper & circumspectæ, nec minima contemnite, quia parva sunt: novistis periculosos sæpè contingere casus, ubi vel in uno etiam erratu gradu. Denique Virginitatem vestram illibatam servate: habeat locum in vobis exclamatio D. Ephrem.

*Serm. de
Castitate.*

O Castitas quæ Rosæ instar in medio animæ & cor-

„poris flores, universamque domum odoris fragrantiam reple! expellat hæc phantasmatum & cogitationum libidinosarum foetores: & ne intrent, fenestras oculorum occludite: quos malè custoditos morituræ Virginitatis principia scripsit D. Hieronymus: disparem fugite sexum: quæ detrahi non vult fugiat detrahentes: ab hisce ascendat quæ descendere non vult: *aliàs rectius fuerat homini* (addit D. Hieronymus *Epist. 22.*) *subiisse Conjugium, ambulasse per plana, quàm ad altiora tendentem in profundum inferni cadere.*

§. VIII.

De Iacob evigilante visâ hac Scalâ.

TRia hîc nobis consideranda oggeruntur: Primò quid delineet Jacob dormiens: Secundò quid evigilans: Tertiò quòd visâ Scalâ expergiscatur: ad intellectum tertii duo priora viam pandunt: est enim ex sensu Sacræ Scripturæ inter alias, quas ei tribuit, Somni significatio eadem cum negligentia & tepiditate in obsequio divino ac animæ curâ, quo sensu loquitur Apostolus ad Romanos eos à torpore ad curam salutis exstimulans: *Hora est jam nos de somno surgere.* Et I Cor. II. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi:* ex eo scilicet defectu, quod ad sacram Synaxin sine debita præparatione accederent. Quomodo de hoc somno etiam loquitur Augustinus: „Cavere debemus, ne anima nostra dormiat, malus est enim somnus animæ: bonus est somnus corporis quo reparatur valetudo corporis: somnus autem animæ est oblivisci Deum suum, quæcunque anima fuerit

oblita Deum suum, dormit. Quid autem Vigilæ dicant, patet è sensu contrario, studiosum nempe Dei obsequium & sollicitam salutis curam, juxta ipsiusmet Christi etymologiam in Evangeliiis frequentem, ubi ad hæc nos exstimulat, Matth. 24. & 25. c. Marc. 15. Luc. 12. & 21. Adumbrat itaque Jacob dormiens homines suæ salutis incurios, & idem evigilans eos ejusdem studiosos: sed quòd visâ Scalâ visisque Angelis expurgiscatur atque evigilet, quid sibi velit, ipsæmet facillè colligitis: talem nempe debere esse Virginum conversationem & sollicitudinem, ut quos habet suæ curæ commissos, vel consanguineos, vel quibuscum degit, eos studeat ad animæ curam inducere si negligentes sint, & ad pietatis cultum provocare si tepidi existant.

Ut hanc vestram vobis probem obligationem non multa coacervabo argumenta, cùm unicum hoc sufficiat deductum ex Angelorum officio, quibus vobis delineari hæcenus ostendimus: quod autem illud non ego, sed dicat illud S. Paulus: id namque habet ad Hebræos c. 1. vers. 14. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capient salutis?* Ecce hoc Angelorum munus, hoc eorum officium est, homines sibi concreditos incitare ad Dei obsequium, salutis desiderium, pietatis cultum, ut in Festo Angeli Custodis vobis sæpiùs declaratum: idem debet esse & vestrum & ut illi eum in finem è Cælo missi sunt in terram, ita & vos præter alias ea etiam de causâ tanquam cooperatrices in eorum numerum ascriptas agnoscite, & administratorias præbete. Eadem quæ illos, vos etiam, si attendatis, ratio agit: quæ enim illa? non

ne ut Deus quem sincerissimè amant noveruntque dignissimum quem ament omnes, nonne inquam ut multos is habeat famulos & amicos? & ut eos, quàm jam fruuntur, socios habeant in cœlesti gloria? Nonne & in vobis eadem ratio militat? amatis verè Deum? multos ei amicos & ministros procuret vestra sollicitudo, angusta nimium est charitas, quæ sibi tantùm invigilat: lenti ignes dicamne frigidi, quorum ardor extra non sentitur. Hujus solummodo amor socios patitur, quos odit mundanus, qui quod impenditur alteri sibi putat subtrahi: unde in Canticis dicebat illa: *Trabe me, post te curremus in odorem* c. 1. v. 3. *unguentorum tuorum.* Talis D. Paulus, Virginum Patronus & Pædagogus præcipuus, qui, licet in castitate & virtutibus aliis vellet omnes sibi similes, qui 1 Cor. 7: 7. & propterea plus omnibus se laborasse gloriatur, 1 Cor. 15: 10. nis namque combustibile consumit quodcunque potest contingere, plùs tamen audet, ut Jesus eos omnes famulos haberet, optabat anathema esse à Christo pro fratribus suis. Talis S. Catharina Senensis, quæ se Ditis ostiariam vovebat, neminem in eum admissura, ubi Deo nullus confitebitur, sed ad cœlum omnes remissura, ubi jugis Dei laudatio. Talis D. Theresia, quæ si divini cultus propagationi quempiam videret utilem, Sorores suas ad socias preces invitabat, quibus conversionem istius à Deo efflagitarent. Hæc signa seu potiùs effectus sunt ardentis charitatis & veræ dilectionis: quisquis Deum verè amat, ei multos amatores optat, & ut habeat, allaborat: quid namque in Parabola de decem Virginibus lampades aliud sonant, ardentes scilicet & extinctæ? Ardentes, quas quæ habuere sapientes dicuntur & ad nuptias

admissæ, nisi quæ habent flammam dilectionis, quæ ipsæ in se ardeant & lucem boni exempli quæ alios illustrent? Exstinctæ, quas quæ habuere dicuntur factuæ, & à nuptiis exclusæ, nisi in quibus exstinctus est fervor dilectionis, & à quibus lux boni exempli non dimanat? lucet quicquid ardet. Eaque de causa vocavit vos Deus, & in suum famulatum attraxit, non intra Claustra monastica, sed in medio Secularium reliquit, ut quemadmodum illæ pro eorum salute orare tenentur, ita vos vestro exemplo atque hortamento ad ejusdem curam illos provocetis, ut *Dormientes Jacob* evigilare faciatis: *Provocentur & aliæ*, scribit *D. Hieronymus, honor Virginum sit invitatio cæterarum*: cùm jam ante præmisisset: *Sponsa Christi Arca est Testamenti intrinsecus & extrinsecus deaurata, custos Legis Domini*: quam non ipsa solùm custodiat, *Pf. 44. 10.* sed & alios custodire faciat. *Astitit Regina à dextera tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate: adducentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi in lætitia & exultatione, adducentur in Templum Regis.* Habetis ibi qualis in se esse debeat Virgo, quod pluribus non prosequor, quia id in præcedentibus abundè factum: habetis etiam qualem se exhibere debeat domesticis & proximis: lucet namque, quicquid ardet: nec quod non arserit, lucere poterit: inde unum ex alio confectarium videtis, quæ caret devotione eam in aliis non provocabit, Irregularis ipsa Regulares non efficiet: dormientem ipsa dormientem non excitabit: ardeat quod lucebit, luceat quod ardet.

Itaque Filiæ meæ memores hujus doctrinæ quibuscum agitis Angelos vos præbete, non quales ante

ante è cœlo decidisse dicebam, quique nostris dele-
 „ctantur malis, sed bonos: „Scurrilitas atque la-
 „scivia te præsente non habeant locum: nunquam
 „verbum inhonestum audias, aut si audieris, non
 „inesceris: (Virgini præscribit S. Hieronymus) ri-
 „dere & rideri secularibus derelinque, gravitas tuam
 „personam decet. Audite hæc quæ chorum ducitis
 & subinde Capitaneæ: Angeli ad solutos mores non
 excitant, sed ab iis suas absterrent, modestiam, pie-
 tatem aliasque virtutes inculcant, quibus non dissol-
 vatur animus, sed Deo arctius astringatur: idem fa-
 cite & vos: *Virgo* namque ex præscripto Apostoli, ^{1 Cor. 7:}
cogitat quæ Domini sunt: Lampades vestræ ardeant ^{38.}
 & luceant, & vestris præferantur ut ad Sponsum ani-
 marum omnium perducantur.

*Epist. 8. ad
Demetr.*

§. I X.

De Iacob admirabundo visâ Scalâ.

Quid *Iacob* visâ Scalâ, visisque Angelis *evigilans*
 adumbret, §. superiori audivimus: nunc quid
 idem admirabundus & encomiastes designet consi-
 derandum: *Non est hic aliud nisi domus Dei & porta* ^{Gen. 28:}
cœli. Quid hinc Virgo deducat? eam nempe debere ^{17.}
 esse suam conversationem, ut Status Virginalis à se-
 cularibus non vilipendatur, sed magni fiat & com-
 „mendetur: „Bona quippe domus in ipso vestibulo
 „debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil
 „intus latere tenebrarum, & mens nostra multis re-
 „pagulis corporalibus impedita tanquam lucernæ
 „lux intus posita foris luceat, ex præscripto S. Am- ^{L. 2:}

E 5

brofij

brofii pro Virginibus. Cumque, quibus hoc evin-
cam, argumenta conciperem, visum unum illud a-
bundè sufficiens derivatum ex ipsa Status Virginalis
1 Cor. 9: natura, quod suggessit Apostolus, qui licet omni-
22.
1 Cor. 4: bus omnia fuerit factus, omniumque peripsa, ta-
13.
Rom. 11: men protestatur *ministerium meum honorificabo*, id
13. est, cum Christi ministrum me agnoscam ejusque
me agere personam, talem me exhibebo, ne quid in
me, quod culpet, inveniatur, utpote conscius redunda-
turum in infamiam Christi, quicquid in me culpabi-
tur: ut ergo Apostolus ex natura suæ vocationis &
ministerii agnoscit suæ conversationis idæam; ita ur-
geo ut ex eadem eandem Virgo agnoscat, & ut agno-
scat utilis hæc gradatio: viro prænobili nubat ab eo
adamata Virgo mendica, nupta certè non jam am-
pliùs in conversatione & habitu mendicam præferet,
sed nobilem: eadem nubat Comiti, Comitissam se
exhibebit: Regi tandem & Imperatori, Reginam &
Imperatricem sese ostendet necesse est. Quales filia
mea fuistis vos quando ex utero materno prodiistis?
nonne mendicæ Deique gratiâ indigæ? Quis dubitet
cum prima Parochi quæstio fuerit quando ad baptis-
mum oblata estis, quid peteretis? petiistis tum, vel
Ex Ritua-
li Romano. nomine vestro Patrini, recipi vos in familiam Chri-
Gal. 3.27. sti: receptæ estis: *Quicumque enim in Christo baptizati
estis, Christum induistis*: Ideoque in tali familia juxta
Domini præscriptum providè & inculpabiliter con-
versandum: quo ferè solo fundamento innititur A-
postolus Christianis persuasurus strenuum Dei atque
Eph. 4.4. virtutis cultum: *Obsecro ego vinctus in Domino, ut
dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis*. Nec solum
in famulas estis receptæ, sed & electæ in Sponsas, non
Do-

Domini alicujus, non Principis, neque Regis aut Imperatoris terreni, sed Regis Regum, & Domini dominantium. Quid autem inde concludendum ipsæmet jam videtis: nonne non jam amplius pristinis vestris centonibus, vitiis putà & imperfectionibus debere vos involvi? nonne non jam amplius ut famulas Deo deservire communi Christianorum vita, at vestro Statui respondere, & ut eminetis dignitate vocationis, ita etiam eximias esse solitudine conversationis, *Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit* 1 cor. 7: 38.
sancta corpore & spiritu: hæc Virginis debet esse cogitatio, & cura. *Non enim placet Deo,* ex S. Ambrosio, *quam non suorum gravitas morum probat.* Aliàs L. 8. Epist. 64.
habitu Virgo, ex eodem Antistite, facta non Virgo. Qui & alibi addit, *Virginem mihi prius sua gravitas nuntiet pudore obvio, gradu sobrio, vultu modesto, & prænuntia integritatis ante-eant signa virtutis: non satis probabilis Virgo est, quæ requiritur cum videtur.*

Vultis argumenti hujus ulteriorem confirmationem? licet eam à Secularibus petere: quod namque eorum judicium, si Virginem videant modestiæ oblitam dissolutiùs agere? audientur effutire, hocine est Klopparum? & cur hoc? nisi quia ex dignitate Vocationis derivant, ratione duce, formam conversationis?

Audite hæc, quæ quandoque minùs cautâ conversatione scandalum aliis præbetis, & obtrectionis materiam, non vobis solis nocivæ, sed & ipsum Statum infamantes: „Sanctum Virginum propo-„
 fitum, & cœlestis Angelorumque familiæ gloriam „
 quarundam non benè se agentium nomen infamat „
 teste D. Hieronymo. Ea etenim multorum igno- Epist. ad Demetr.
 rantia

Epist. ad
Eustoch.

rantia, ut defectus personarum ipsi Statui, quem profitentur delinquentes, ascribant: non enim ideo conjugium malum, quod conjugati aliqui malè vivant, ideoque nec culpandus Status Virginum, quod harum aliqua se irreprehensibiles non exhibeant: quales Sancti Patres Virginibus nolunt accenseri, easque præcitatus Hieronymus *infelicem conscientiam mentitâ tantum veste*, scribit, *protegere*: & *adversus Helvidium*, cum is inter cætera Virginitatis impugnator, præcipuè autem Deiparæ Virginis, objecisset ei, esse quasdam quæ etiam tabernas frequentarent (non enim negligebant antagonistæ Virginum, propalare quicquid ad earum contemptum & infamiam faciebat, ideoque earum conversationis, quomodo Ecclesiæ Præsules studiosi informatores, erant illi rigidi censores.) „ Quod autem ais (verba sunt S. Hieronymi) quasdam esse Virgines tabernarias, ego „ tibi plùs dico, esse in his & adulteras: & quò magis mireris, Clericos esse caupones, & monachos „ impudicos: sed quis non statim intelligat, nec Tabernariam Virginem, nec adulterum Monachum, „ nec Clericum posse esse cauponem? numquid Virginitatis est culpa, si simulator Virginitatis in crimine „ est? Hæc sanctus Doctor & Virginitatis Advocatus. Cessent itaque in Statum refundere personarum delicta, qui Virgines vult esse sanctas corpore & spiritu: si garrulam videant, Virgines Labbas non clamitent: si nupturientem audiant, ne incontinentes dixerint quousque procos invenerint: non enim Statui ascribendum quod contra Status præscripta committitur. Labet hæc eleganti D. Augustini Apologia concludere quam scripsit ad Hipponenses datâ

occa-

occasione à Presbytero & Clerico, quorum unus al- *Epist. 137*
 teri enorme crimen improperebat: „Quantumlibet
 „enim vigilet disciplina Domus meæ, homo sum &
 „inter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut
 „domus mea melior sit, quàm domus Abraæ, ubi
 „dictum est: Ejice ancillam & filium ejus: aut me- *Gen. 21:*
 „lior sit quàm domus Isaac, cui de duobus geminis *10.*
 „dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. *Rom. 9:*
 „Aut melior sit quàm domus ipsius Jacob, ubi le- *13.*
 „ctum patris filius incestavit. Aut melior sit quàm *Gen. 35:*
 „domus ipsius David, cujus filius cum Sorore con- *22.*
 „cubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam *2 Reg. 13:*
 „mansuetudinem rebellavit. Aut melior quàm co- *14.*
 „habitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim *2 Reg. 15:*
 „boni perfidum & furem Judam toleraverunt. Aut
 „melior sit postremò, quàm cælum, unde Angeli *Matt. 26.*
 „ceciderunt. Hæc S. Augustinus & plura alia in
 posteriori parte citatæ Epistolæ. Ut ergo nullus Sta-
 tus immunis à scandalis, nec hæc in ipsum retorquen-
 da. Ut ad Virgines redeam, hisce satagendum ne co-
 rum occasionem præbeant: quod si neglexerint, gra-
 vioribus se peccatis obstrictas norint quàm si eadem
 à Secularibus commissa forent: quò enim quisque al-
 tior, eò lapsus est gravior: obtinet quidem in
 mundo:

Dat veniam corvis vexat censura columbas:

sed non apud Deum, cui eò graviora delicta, quò de-
 linquentibus amplior grátia facta: turpior enim ma-
 cula in panno candido, quàm in sacco fordido: & Cui *Luc. 12:*
multum datum est, multum quæretur ab eo: ideoque *48.*

Si in terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam *Isai. 26:*
Domini. *10.*

Ita-

Itaque, Virgines Dei, Status vestri existimationem Secularibus ingerite, & ut id fiat efficaciter, ipsæmet hanc in vobis fovete: inde namque totius mali origo, quod Vocationem vestram aut ignoretis, aut non æstimetis. Dei Sponsæ estis, tales vos etiam ostentetis. Alio titulo id inculcant Patres, è quibus

L. 2, contra Jovinianum. Epist. ad Heronem. S. Hieronymus: *Virginibus & Continentibus quasi gemmis pulcherrimis Ecclesiæ monile decoratur.* Et Ignatius S. Joannis Discipulus: *Virgines serva ut pretiosa Christi monilia.* Gemmæ & monilia sunt ad ornatum: talis Virgo quælibet esse studeat: ex parte Dei non est defectus impensarum suæ gratiæ, is namque lufiores imitatur, quos videmus sæpe, ne perdant, plura perdere: aut qui litigant, quod plùs vel laboris vel pecuniæ insumpserint, eò plùs incallescere ad insumendum. Neque imputetur Statui, si quæ suæ vocationi defint, quæ eò se graviùs peccare norint, quod major eis gratia prorogata: *Ipsi cum aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas,* scitè monet in præcitata apologetica Epistola S. Augustinus: neque est ad infamiam Loth & filiarum quod iis egressis jam è Sodoma, ejus uxor & harum mater respexerit.

Gen. 19: 26.

CAPUT II

De Ascensu & Descensu quotidiano.

IN rerum productione ab imperfecto ad perfectum procedit natura, antequam namque ex arbore fructus producat, videmus prius in terra plantari semen, hoc radices emittere, in furculos excrescere, ramos expandere, foliis vestiri, gemmas emittere, flores induere, ac tum demum dare fructus. Naturam Ars imitatur, Pictor etenim depicturus alicujus effigiem, cretâ prius eam in tabula delineat, inde diversos colores superinducit, ac tunc tandem imago resultat intenta. Ego exhibiturus Virginem Perfectam, Naturam æmulatus sum hæcenus & Artem, in capite præcedenti ejus Semen plantavimus, rudemque delineationem dedimus: quasi imperfectum fuit quod proposuimus, hoc autem capite ad perfectiora progrediemur, fructus ex hoc Semine educturi, & ultimos colores superinducturi, quo Virgo in actibus quotidianis perfecta resultet, tradendo scil. quomodo Scalam nostram ascendat & descendat indies,

§. I.

De Expergefactione.

NON apparet unde congruentius initium ducendum, quàm ab initio diei, expergefactione scil. Dico itaque Virginem Deo sacram, ac primùm
ma-

L. 3. de
Virg.

manè è somno expergiscitur, ascendere debere ad Deum, id est, cogitationum suarum primitias Domino offerre: & hic Ascensus primus est: cuius praxin antequam doceam, præmittendum à D. Ambrosio id Virgini præscriptum: *Primitias*, inquit, *Vigiliarum tuarum Christo dicato, primitias actuum tuorum Christo immola*: quâ loquendi formulâ præcepti hujus figuram duplicem insinuat, quæ de primitiis & primogenitis in Veteri Lege Judæis olim præscripta. De Primitiis habetur: *Primitias frugum*

Exod. 23:
19.

ibid. 34:
26.

terre tue deferres in domum Domini Dei tui & ibidem *offerres*. De Primogenitis autem: Exod. 22. & 34. c. Uti ergo Deus ab Israëlitis Ægyptiacâ servitute exemptis meritò sibi olim primogenita tam in hominibus & jumentis quàm frugibus consecrari voluit, ita nunc in Lege Nova à Virginibus è mundi servitute ereptis potiori jure quotidianarum actionum tam internarum quàm externarum primitias sibi dedicari exposcit. *Primitias vigiliarum tuarum Christo dicato, primitias actuum tuorum Christo immola*.

Proverb.
8: 31.

At quomodo? Cogita dari tibi hunc diem ad Dei tui obsequium & animæ tuæ negotium promovendum: inde in gratiarum actiones prorumpere pro beneficio & in ferventia desideria divini famulatus. Vel ac si accedens ad Deum, à quo quasi absuisti dormiens, eum amanter saluta, tua obsequia defer, teque ipsam ei devove. Vel à Deo te excitari tibi imaginare tanquam ægrè ferens, utpote cui *deliciæ sunt esse cum filiis hominum* tamdiu à tuo alloquio separari. Vel quid aliud cogitare poteris, quod tuæ magis arrideat devotioni, vel quod hæc tibi suggererit.

Atque hanc praxin vel ab insensibilibus creaturis

addisce: flores nonne vides sub vesperum folia contrahere, & ad ortum solis eadem manè denuò expandere? Flos es, O Virgo, in Ecclesiæ Viridario, si-
 ve, ut loquitur S. Cyprianus, *Flos es Ecclesiastici ger-* *L. de hab. & disc. Virg.*
minis: contraxisti cogitationum tuarum folia in & ob somnum? ecce reduci ad te Sôli justitiæ, eadem
 expande lætior, expande alacrior: etenim de Iusto *Eccl. 39:6.*
scribitur quod tradet cor suum ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Fontes obice objecto compressi, eo re-
 moto fluunt impetu majore: non putridum stag-
 num ut peccatores & mundi dilectores, sed fons es, *Cant. 4:*
quô piorum desideriorum & sanctarum cogitatio- *13.*
num lymphis animæ tuæ terram riges, & mortifica-
tionum aquis eluas imperfectionum sordes: obex-
stitit hunc fontem, somnus tuus? eo disrupto fluant
hi latices perniciores, alluant animam tuam, in mare
magnum divinæ majestatis refluant. Clibanus igni-
tus fenestrâ occlusâ servat intus calorem & ignem: at
ac primùm hæc panditur, calor erumpit & flamma:
fervet in corde tuo ignis divini amoris? somnus eum
conclufit? hoc recedente ebulliat flamma dilectio-
nis: non egreditur? signum est eum in te necdum
accensum: si-ve, ut loquar mitiùs, index est, si primi-
tia Deo non dedicentur, non multum boni eo die de
te exspectandum, si quidem vera est doctrina Cli- *grad. 26.*
maci: „Est è Spiritibus unus, qui præcursor dicitur,
„qui nos è somno surgentes protinus excipit, pri-
„mumque nostrum cogitatum inquinare nititur: da
„Domino primitias diei tuæ: erit enim tota ejus,
„qui prior occupaverit. Ecce causam tam exigui tui
profectus etiam post renovata proposita, inquire num

reafis hujus defectus : rarò namque bono finiuntur exitu, quæ sunt malo inchoata principio : unde cum monuiffet Seraphicus Scriptor : *Primitias cogitationum tuarum offer Deo* : protinus subnectit hanc rationem : *& ex hoc eris ad omne opus devotior & expeditior totâ die* ; magnus namque ad virtutem stimulus manè adfuiffe Deo, ei obtuliffe & addixiffe noftra fervitia.

Hinc familiariffima femper hæc praxis animabus divinâ charitate flagrantibus, è quibus Pfalter : *Deus meus, ad te luce vigilo* : & quis harum vigiliarum fructus ? *sitivit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea* : qui fiti affligitur ad illud avidus anhelat quod torridas fauces refecerat : es Anima fitibunda fapuit tibi Dominus evigilanti ? fities eum toto die etiam corpore quoad actus mortificationum. Legis indies in tuis Horis ad Laudes, & fortè nunquam attendifti ut æmulareris, & quod in eod. Pfal. fequitur.

v. 7-10. *Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te, quia fuifti adjutor meus, & in velamentis alarum tuarum exultabo : adhæfit anima mea post te, me suscepit dextera tua, ipfi verò in vano quæfierunt animam meam.* Pleni funt Pfalmi hac ejus praxi, hujusque fructibus, quæ & ufitata Ifaiæ : *De manè vigila ad te.* Actum agerem, fi citarem omnes, ideoque claudet agmen B. Francifcus Salesius : is Patavii ftudiis invigilans & matrimoniali Ecclefiafticum Statum præferens inter alia fibi hoc exercitium præfcripfit, additurus etiam aliquod facrum myfterium. Pastorum præfertim devotionem, qui in ipsis natiscentis auroræ incunabilis divinum Infantem natum adorarunt : Mariarum fedulitatem, quæ ut viderent & vene-

In Vita
pag. 16.
& 17.

venerarentur defuncti Salvatoris corpus summâ pietate commotæ valde manè unâ Sabbathorum venerunt ad monumentum.

Si itaque, Virgines Deo sacræ, familiaris vobis hujus ascensus praxis non fuerit hætenus, sit impoterum: *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereant*, urget Ecclesiast. Cum Psalte sit ^{14: 14.} vox vestra: *Manè oratio mea præveniet te.* Expandite ^{Pf. 87: 14.} desideriorum & cogitationum Vela, quò ventum hauriatis divinarum aspirationum, si profectum amatis. Olim dolebitis hac methodo non vos usas. Amatis Deum? sine eo esse non poteritis: potestis autem esse? jam non amatis: obsita est foetido vitiorum suorum allio, quam cœlestis ille magnes ad se non trahit: non careat animæ vestræ terra hoc rore matutino.

§. II.

De Surrectione.

Monet Ecclesiasticus: *Hora surgendi non te trices: præcurre autem prior in domum tuam: quo* ^{cap. 32. vers. 15.} monito consulit duo: primam nempe hominis occupationem, cùm è lecto assurrexerit, debere esse Orationem, domo enim Oratorium significat, quod domus est animæ, ubi suâ hæc gaudeat libertate, sibi que vacet: & cùm hora surgendi venerit non pigritandum, sed surgendum alacriter: quod quomodo faciendum, Virginem docebit hic §.

Vesperi, antequam indormias, horam tibi statues quâ surgendum erit: vel, si jam ex consuetudi-

ne certum surgendi tempus habeas, aut ad surgendum exciteris, id necessarium non erit: dein cum corpore tuo pactum inibis, ut ad satietatem totâ nocte quiescat, sed & tempore præscripto alacriter ad spiritualia exercitia assurgat, tempusque redimat, sibi ad quietem tam largè indultum. Satagendum tamen, ut non invitum sit, ne debitâ quiete fraudetur: ea namque quarumdam Virginum est indiscretio, ut nesciant in tempore vesperi decumbere, ideoque non sine difficultate & indispositione sciunt manè stratum deserere. Tandem signo vel horâ auditâ statim consurgens dices tibi ipsi: hoc signum magni Regis est, venite adoremus eum, & offeramus ei munera, quomodo loquebantur Herodi tres Orientales Magi: *Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Quomodo etiam dixerunt & egerunt Pastores Bethleemitici: *Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc verbum, quod factum est nobis: quod Dominus ostendit nobis: & venerunt festinantes.* Quò autem alacriores quietis locum deserant, solent Animæ piæ aliquot motiva tanquam calcaria habere in promptu: si quæ fortè ex vobis ea necdum habeat, suggeram aliquot pro singulis hebdomadæ diebus, alludendo ad Litanias iis recitari à vobis consuetas.

c. 4. & 7. Die Dominico ex Apocalypsi S. Joannis intueberis quasi cœlum apertum, & Sanctos omnes coram throno Dei & Agno prostratos, summâ alacritate & c. 7. v. 12. voce magnâ dicentes: *Benedictio & claritas, & gratiarum actio, honor Deo nostro in secula seculorum Amen.* Unde eriges te magno fervore iis te associandi: & ut illi eo in opere semper occupantur: *Beati enim qui Ps. 83. 5. habitant in domo tua Domine, in secula seculorum laudabunt*

dabunt te, ait Psaltes. Sic & tu surges eo animo, quòd totam quidem vitam, sed eum præcipuè diem cultui divino dedicatum velis infumere exercitiis pietatis. Et quòd te consideratio hæc amplius moveat, invitari te & vocari à Beatis ad hæc officia tibi imaginaberis. Et quæ hæc cogitans moras trahet?

Feriâ secundâ aspicias Deum quasi iratum & comminantem tibi ob multiplices præteritæ vitæ tuæ defectus, ac si diceret tibi: *Usquequò piger dormies?* *Proverb. quando consurges è somno tuo?* vel quod olim dictum 6:9.

Episcopo Sardicensi: *Si non vigilaris, veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ veniam ad te.* *Apoç. 3:3.*

Ideoque, ut eum tibi placatum reddas, surges velociter veniam petitura, vitæque emendationem promissura. Cui hæc cogitanti stertere placebit? Vel è pœnis purgatorii clamantes audies defunctos, non modò suffragia tua requirentes, sed & amicè monentes, ne otiosè transigas tempus tuum; at ut salutis tuæ advigiles, & pro erratis satisfacias, cum jam facile possis, ne postmodum apud eos luere cogaris: inde asurges eo proposito transigendi hunc diem ac si vitæ tuæ ultimus foret, & quomodo eum totamque vitam tuam impendisse te voles in illo momento, quo oculis corporis sopitis evigilabis in diem æternitatis, tuamque ignaviam deflebis. Quæ hîc difficilis erit?

Feriâ tertiâ Spiritum Sanctum audies rogantem te, ut surgas, quòd suas tibi inspirationes communicet, & in te effundat gratiæ suæ munera, ac si diceret: *Surge, propera amica mea & veni.* Ferrea sit & adamantina, quam hæc suavissima alloquia non moveant; 10. nec amat profectum suum, quam hæc blanditiæ non rapiant: audis jam amore lucri opifices accinctos

operi, & te non trahit lucrum animæ tuæ? Vel Angelos contemplare ante Dei thronum astantes paratissimos ad voluntatem ejus faciendam, *nonne omnes sunt administratorii spiritus?* in c. præcedente Virgines sæpius Angelos diximus: exsiliens ergò dices: Ad idem & ego vocor, teque ad nutum ejus exequendum offer: nonne id eum delectabit qui nos orare docuit:

Matth. 6. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra? Vel etiam
10. Angelum tuum Custodem te excitantem atque exhortantem ad surgendum apprehende: ut namque Angeli delectantur obsequio divino, ita suos clientes ad idem illud exstimulant: sic solitus excitari à suo

Hist. Societ. Jesu. Accipe igitur ex ejus ore quod olim D. Petrus, de quo in Actibus: Percussio latere Petri excitavit eum dicens: surge velociter. Et quod Elias, quem Angelus Domini tetigit, & dixit illi: surge, comede, grandis enim tibi restat via. Verè grandis via! quantum enim adhuc abes à vera perfectione! ut ergo, qui longum iter cogitant, maturè se itineri accingunt, ne seriùs venientes nocte obruantur & à termino suo excludantur, idem fac & tu.

Feriâ quartâ, quod in horto Gethsemani à Christo dictum Apostolis, tibi applica: *Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem.* Ac primùm itaque tanquam in mediis periculis, ut revera es, exsilias: propera ut per orationem te divinæ protectioni committas. Vel Patriæ nostræ Patronos, qui & tui sunt apud Deum in cælo, tibi annuentes intuere, urgentesque ut & tu salutem tuam Deo commendes, pro qua illi satagunt.

Feriâ quintâ, quæ dies Communionis est, dum exci-

excitaris, vel campanæ sonitum audis, veniat tibi in mentem illud è parabola de decem Virginibus: *Clamor factus est, ecce Sponsus venit, exite obviam ei: 25: 6.* tunc surrexerunt omnes Virgines illæ, & ornaverunt lampades suas: Sapientes, quia è vestigio parata erant, intraverunt cum Sponso ad nuptias: fatuæ autem, quia moras necebant, exclusæ sunt. Surge itaque & propera, ut Sapientibus te jungas, & ad surgendum urgeant te tot è tuis corrivalibus, quæ certant esse primæ. Urgeat te ipse Sponsus pulsans modò & præstolans ante januam cordis tui: *Ecce sto ad ostium & Apoc. 3: pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi 20. januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum:* pudeat ei te inhumanam exhibere: cogita, quæ toties sine debita devotione ad Communionem accessisti, an non ex defectu hæc ortum habuerit tua ariditas: in Canticis pulsaverat Sponsus caput plenus *c. 5: 2.* rore, at dum Sponsa tardior advolat, *jam ille declinaverat atque transierat. vers. 6.*

Feriâ sextâ dici tibi à Christo existimabis: Surge & redde rationem tuam, ecce tot anni sunt, quod meis usa sis gratiis, redde earum rationem: quo audito surges confestim, ut ad rationem te præpares, vel ut debita deprecis, si iis abusa sis: æmulare servum illum Evangelicum, qui procidens orabat dicens: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth. 18: 26.* Vel crucifixum Dominum contemplantæ præstolantem te, ut sub ejus umbram confugas, atque ex Arbore Vitæ, Cruce scil. fructus gratiarum decerpas cum illa quæ fatebatur: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. cant. 2: 3.* amas hosce? festinabis proculdubio.

Sabbatho tandem Dominum cogitabis ab opere
Gen. 2:2. cessantem : *Requievit die septimo ab universo opere,*
quod patrarat, scribit Moyses, tibi que præcipientem,
 ut ei in operibus bonis succedas, ac si diceret
Josua. 7: quod olim Josuæ : *Surge, cur jaces pronus in terram.*
10. Recole hîc parabolam illam de patre-familias, qui
 exiit primo manè conducere operarios in Vineam
Matth. suam, teque unam ex iis imaginare, non quæ horâ
20. nonâ aut undecimâ, sed quæ sollicitaris summo manè.
 Vel Beatissimam Virginem Virginum omnium Patronam ad idem illud te excitantem & inducentem considerabis. Et quæ non obediet? Et hæc aliquot Motiva sunt, quibus tamen nolo vos astrictas; sed si quæ sint, quæ alia habeant, iis liberè utantur: hæc enim solummodò iis suggesta sunt, quæ iisdem etiamnum carent.

§. III.

De Vestitu.

Surrectionem sequitur Vestitus, de quo nunc tractandum : quod antequam fiat, recolligendum ex Genesi, ante Adami peccatum ejus usum non fuisse, siquidem priùs post esum pomi vetiti aperti sunt oculi eorum : *Cumque cognovissent se nudos esse,*
ibid. vers. 7. *consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizonata:* sed
ibid. vers. 21. quia hæc facile defluerent : *Fecit quoque Dominus Deus Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos.* Ideoque vestimenta testimonia sunt omissæ originalis justitiæ, & supplicia primæ Protoplastorum prævaricationis : *Omnia ista damnata & mortua mulieris*
 impe-

impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta, scribit Tertullianus. Eoque intuitu in luxum vestitum gravissimè invehuntur Patres, nec parcunt iisdem Virginibus Deo consecratis, quæ eodem crimine tenentur reæ, quos inter excellit D. Cyprianus edito Libro *de Habitu & Disciplina Virginum*, quid est illis cum terreno cultu, & cum ornamentis, inquiens inter alia, quibus dum hominibus placere gestiunt, Deum offendunt: ut enim ait Tertullianus Virginem alloquens: *Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, illi sponsasti maturitatem tuam, incede secundum Sponsi tui voluntatem.* In vobis, teste D. Ambrosio, rejecta decoris cura plus placet: & hoc ipsum, quod vos non ornatis, ornatus est. At lubet Tertulliani verbis parum immorari: *Incede secundum Sponsi tui voluntatem*: unde autem eam intelliges, nonne ex tuis Superioribus? eo igitur habitu incedendum Virgini, quem illi præscripserint, vel probarint, seque inobedientem sciat, si alium assumpserit; quales deprehenduntur plurimæ, si à capite usque ad calcem vestitus earum subjiciatur censuræ: Carthagini olim teste Tertulliano in præcit. *L. de Virginibus velandis*, quem ea de causa conscripsit, *Virgines hominum*, (seculares intelligit quæ cum patientia præstolantur procos) *Virginibus Dei*, iis scil. quæ ut loquitur D. August. *de Virgin. c. 11. Deo dicatæ piæ continentia* sunt tales, cum modestiùs caput tectæ incederent, hoc tegumen violenter detraxerant: modò ratione planè contrariâ Virgines Dei (si tamen tales) Virginibus hominum sua caputia præripiunt, linteolis ac Tippis (credo ut sibi cornua inesse ostentent, si quis eas offendat) ac illæ, æquè splendidè exornatæ: quarum

L. de Habitu muliebri.

L. de velandis Virgin.

L. 1. de Virgin.

rum capita *capita nundinatitia* vocat idem Scriptor. Aliquæ ulterius progrediuntur assumentes Caputia, Anglica dicta, ut usu suo (est ea mea suspicio) iterum consecrent, quæ quasi prophanata videbantur, dum illa haud ita pridem publico spectaculo ante Curiam Ultrajectinus Magistratus Lenoni per carnificem imposuit. Sed à capite, quod vexas non patitur, ad brachia descendamus, ea diceres, nisi reliquus cultus contrarium suaderet, ad lavandum vel fordes extergendas succincta: multiplices enim plicæ manicarum earumque amplitudo omnem ferè materiam sibi appropriant contra præscriptum D. Athanasii *de Virginit.* qui vult ut *sint manicæ laneæ, brachia obtegentes usque ad digitos manuum*: ne tamen frigus noceat, aut nuditas pateat, *Modestiae*, inventa scil. superbiæ, earum brevitatem suppleant: de thorace, collobiis & apparatu reliquo non est quod dicam, nisi quod de Socrate dicebat Plato, eum scilicet majore fastu Platonis fastum calcare, sic tales eodem calcare fastum secularium.

*L. de hab.
& discip.
Virg.*

*L. de Vir-
gin.*

At vestis cæteroquin non ornat. Sed quibus placere desideras? audi Cyprianum: „Nec computari jam potes inter puellas & Virgines Christi, quæ sic vivis ut possis adamari. Audi Basilium: „Perquàm iniquum & indignum est, cùm Sponsus nimia vi amoris impulsus nobilitatem & divitias spreverit, ignominiaque calcata extremam quoque sit perpeffus inopiam, ut nos illius paupertate ditaremur, Sponsam immortalitatis consequendæ causâ nolle pro se mortuo paria reddere, sed affluere deliciis, & in lasciviam solvi, & *seculo configurari* malle ac renuere cum illo pauper effici & humiliari.

„ri, qui propter se factus est pauper, ut ad proprias
 „divitias divinitatis remeanti illi, quæ pauperi pro
 „se effecto paupertatis accesserit consors, divitiarum
 „quoque & regni in cœlis socia inveniatur: despi-
 „ciat ergo prudens Virgo, quicquid oculis carnis
 „aspicitur, quantumlibet id apud plerosque præcla-
 „rum esse judicetur. hæc S. Antistes. „Vince ve-
 „stem, (urget D. Cyprianus) quæ Virgo es, & L. cit.
 „quæ Deo servis: vince aurum, quæ carnem vincis
 „& seculum: non est ejusdem, non posse à majori-
 „bus vinci, & imparem minoribus inveniri.

Si vestimento negaveris alligatam Virginitatem:
 Idem dico & ego: ut namque Cappa Monachum
 non facit, ita neque indumentum Virginem: cur er-
 go illud tanti feceris, ut ad quærendam vesti mate-
 riam non sine scandalo secularium de officina in offi-
 cinam discurras? ut subinde sæpius diffuenda & re-
 formanda sit, antequam tuo sensui, ne dicam super-
 biæ, arrideat? „Virgo non esse tantum, sed & intel-
 „ligi debet & credi, (inquit S. Cyprianus) ut ne- L. cit.
 „mo, cum Virginem videt, dubitet an Virgo sit:
 „quid ornata? quid compta procedit, quasi mari-
 „tum aut habeat aut quærat? timeat potius placere,
 „si Virgo est, nec periculum sui appetat, quæ ad me-
 „liora & divina se servat. *Amictus enim corporis &
 ingressus hominis juxta Scripturam enuntiant de illo.* Eccl. 19.
 Ideoque *Vestis talis sit sacræ Virginis, quæ testis existat* 27.
intimæ castitatis: nihil nitoris in habitu exterioris ho-
minis quærat, ne interioris hominis habitus sordide-
tur. Virgo, quæ ornatum corporeæ vestis affectat, ani-
nam suam virtutum splendore despoliat, &c. Probæ
 præscribit S. Fulgentius. Non enim sic te indui, non c. 14.

sic ornari vult Sponsus, sed in anima tua omnem reponere gloriam jussit, Serm. quod fœminæ regulares viris cohabitent, inculcat S. Chrysostomus.

Neque divitias suas prætendat: „Sunt enim aliquæ divites & facultatum ubertate locupletes, (verba sunt D. Cypriani) quæ opes suas præferant, & se bonis suis uti debere contendant. Sciant primò illam divitem esse, quæ in Deo dives est: illam esse locupletem, quæ locuples in Christo est: bona illa esse quæ sunt spiritualia, divina, cœlestia, quæ nos ad Deum ducant, quæ nobiscum apud Deum perpetuâ possessione permaneant: cæterum quæcunque terrena sunt in seculo accepta, & hîc cum seculo remansura tam contemni debent, quàm mundus, ipse contemnitur, cujus pompis & deliciis jam tunc renuntiavimus cum meliore transgressu ad Deum venimus. Locupletem te dicis & divitem: Sed divitiis tuis Paulus occurrit, & ad cultum atque ornatum tuum justo fine moderandum suâ voce præscribit: sint, inquit, mulieres cum verecundia & pudicitia componentes se, non in tortis crinibus, neque auro, neque margaritis aut veste pretiosa, sed ut decet mulieres promittentes castitatem per bonam conversationem. Item Petrus adhæc eadem præcepta consentit, & dicit: Sit in muliere non exterior ornamentum, aut auri, aut vestis cultus, sed cultus cordis. Quod si illi mulieres quoque admonent coërcendas, & ad Ecclesiasticam disciplinam religiosâ observatione moderandas, quæ excusare cultus suos soleant per maritum: quantò id magis observare Virginem fas est, cui nulla ornatus sui competat venia, nec derivari

1 Timoth.
2: 9. &
10.

1 Pet. 3: 3.
& 4.

„ in alterum possit mendacium culpæ, sed sola ipsa
 „ remaneat in crimine? Locupletem te dicis & divi-
 „ tem: sed non omne, quod potest, debet & fieri,
 „ nec desideria prolixa & de seculi ambitione nascen-
 „ tia ultra honorem ac pudorem Virginitatis extendi,
 „ cum Scriptum sit: Omnia licent, sed non omnia ^{I Cor. 6.}
 „ expediunt. Cæterum, si tu te sumptuosius comas, ^{12.}
 „ & per publicum notabiliter incedas, oculos in te
 „ juventutis illicias, suspiria adolescentium post te
 „ trahas, concupiscendi libidinem nutrias, suspi-
 „ randi fomenta succendas, ut, etsi ipsa non pereas,
 „ alios tamen perdas, & velut gladium te & venenum
 „ videntibus præbeas, excusari non potes, quasi men-
 „ te casta sis & pudica: redarguit te cultus improbus
 „ & impudicus ornatus, nec computari jam potes in-
 „ ter puellas & Virgines Christi, quæ sic vivis, ut pos-
 „ sis adamari. Locupletem te dicis & divitem, & u-
 „ tendum putas iis, quæ possidere te Deus voluit.
 „ Utere sed ad res salutares. *Tanta corpori suppeditet*
quanta necesse, & universa in animæ salutem impen-
dat. eidem præscribit D. Chrysostomus. At pergat ^{Serm.}
 D. Cyprianus: „ Utere sed ad bonas artes. Utere ^{quod Reg.}
 „ sed ad illa quæ Deus præcepit, quæ Dominus ^{fæm: viris}
 „ ostendit. Divitem te sentiant pauperes, locupletem ^{cohabi-}
 „ sentiant indigentes. (sive ut loquitur Antistes Me- ^{tent.}
 diolanensis, lubet enim illud hîc inferere: *Dives esto* ^{L. I. de}
sed pauperi, ut naturæ participes tuæ, sint etiam faculta- ^{Virg.}
tum.) „ Patrimonium tuum Deo fœnera: (*Hoc ei*
qui non caret filiis hortamentum est, ait alibi Magnus
 Athanasius, *qui caret imperium.*) „ Christum ciba,
 „ ut Virginitatis perferre gloriam liceat, ut ad Do-
 „ mini præmia venire contingat multorum precibus
 ex-

L. de Bo-
no viduit:
c. 21.

„exora. (quod & Viduis inculcatum voluit Præ-
sul Hipponensis: *In vobis amor divitiarum simul frige-
scat cum amore nuptiarum, & pius usus rerum, quam
possidetis, ad spirituales delicias conferatur, ut liberali-
tas vestra magis ferveat adjuvandis egenis quam di-
tandis avaris: in thesaurum quippe cælestem non mi-
tuntur dona cupidorum, sed eleemosynæ pauperum, quæ
in immensum modum orationes adjuvant Viduarum.*
Sed quem iterum interpellavimus, in suis progredia-
tur Martyr gloriosus.) „Nam delinquis & hoc ipso
in Deum, si ad hoc tibi ab illo divitias datas credis,
ut illis non salubriter perfruaris: nam & vocem,
Deus homini dedit, & tamen non sunt amatoria,
cantanda nec turpia: & ferrum esse ad culturam,
Deus voluit, nec homicidia sunt idcirco facienda:
aut, quia thura & merum & ignem Deus instituit,
sacrificandum est inde idolis. Alioqui tentatio est
patrimonium grande, nisi ad usus bonos census ope-
retur, ut patrimonio suo unusquisque locupletior
magis redimere debeat, quam augere delicta. Or-
namentorum ac vestium insignia & lenocinia for-
marum non nisi prostitutis & impudicis scæminis
congruunt, & nullarum ferè pretiosior cultus est,
quàm quarum pudor vilis est. Hæc & plura alia
Carthaginensis Præsul, cui concinit D. Hieronymus
ad Demetriadem Virginem, eique inter alia scribit:
Ex eo tempore, quo Virginitati perpetuæ conse-
crata es, tua non tua sunt, imò verè tua, quia
Christi esse cœperunt. Alii ædificent Ecclesias...
non reprehendo... sed tibi aliud propositum est,
Christum vestire in pauperibus, visitare in lan-
guentibus, pascere in esurientibus, suscipere in his
qui

„ qui tecto indigent , & maximè in domesticis fi-
 „ dei, &c. Cujus monitu finio hanc materiam, sit *Ve-* *Epist. ad*
stis nec satis munda, nec sordida, et nulla diversitate no- *Eustoch.*
tabilis. Time cæteroquin Domini minas: *Visitabo super* *Sophon. 1:*
omnes, qui induti sunt veste peregrina: idem Dominus *8.*
 est, cui omnes famulamini, idem etiam sit omnium
 Habitus, exulet hîc omnis singularitas : **Gelijcke**
Monnicken / gelijcke klappen. Cave tamen *humili-*
tatem Vestium tumentis animo ne appetas, ex præcit.
 Hier. Epist. 13. ad Paulinum. *Æmulanda,* ideoque
 hîc non prætereunda silentio, *Proba Virgo Roma-*
na Avis atavisque nata consulibus & deliciis regalibus
enutrita, de qua *ad Gallam* Viduam ejus Sororem D. *Epist. 2. c.*
 „ Fulgentius : „ Delicias corporis quanta virtute *16.*
 „ contempserit, & quomodo suam famem satiandis
 „ faciat deservire pauperibus, nec ob aliud ipsa vili-
 „ bus tegatur indumentis, *nisi ut humilitatis propositum*
 „ *impleat, & vestiendis pauperibus jugem curam*
 „ *sanctæ pietatis impendat,* plenius ipsa videndo cog-
 „ noscis, quàm id à me velis audire, quod minùs pos-
 „ sum sermonibus explicare. Irreprehensibiles sunt,
 „ quotquot eam æmulantur. Disce igitur tu quo-
 „ que (commendat eid. S. Antistes) nihil tibi de no-
 „ bilitate generis assignare, & licet avo, patre, focero,
 „ marito Consulibus pridem fueris inter seculares il-
 „ lustris, nunc in eo te illustrem fieri cognosce, in
 „ quo tibi virtus humilitatis accrescit: Disce à Domi-
 „ no, quia mitis & humilis corde, & invenies requi-
 „ em animæ tuæ. Nec te illis, quos pascis aut vestis, *Ibid. c.*
 „ superiorem credas, aut pro eo quod tu tribuis, & *17.*
 „ illi accipiant merita tua Christi pauperibus antepo-
 „ nas, tanquam tu ideo potior sis, quòd plura con-
 tem-

tempferis: frustra enim contemnis facultates tuas, si noxias jactantiæ teneas in corde divitiis: non enim illi soli peccant, qui pro divitiis, quas habent, aliquam gestant in corde jactantiam, imò gravius delinquunt, qui volunt jactantiam cordis de divitiis habere contemptis, aut qui se propterea volunt pauperibus præponere, eò quòd plura videantur pauperibus erogare: non autem idem ordo est apud Deum, qui non quantitatem contemptæ facultatis, sed qualitatem voluntatis attendit. ,

Sed de his jam satis, ideoque à vestibulis ad vestientium progrediamur, tradituri ut Ascensus sit in mystica nostra Scala, quid Virgini faciendum, erit talis, si vestem assumens teque ea induens piâ aliquâ consideratione te occupes, quæ tuam in Deum mentem elevet: suggeram aliquot, si quæ hîc steriles sint. Prima esse potest hominis præ bestiis miseria, quibus non necessaria vestis, sed data à natura: eccur hæc Domine homini negata? scilicet ut ei continuum esset incitamentum, quomodo corpori procurat vestitum & induit, ita multò magis curandum de vestimento animæ, idque quotidie. Vestem, corpori licet natura non dederit, habent tamen multi sine labore, vel à parentibus, vel ex hæreditate; vestem autem animæ nemo habet nisi ex proprio labore: inde propositum concipies satagendi pro ea, materialia, Dei nempe gratiam, postulans ab eo. Secunda esse poterit: quæ operi accingitur vestes congruentes assumit, dum lotricem aget, domum aut supellectilia expurgabit eundabitque, non meliores sed viliores assumuntur, signum operis secuturi est indumentum assumptum: dum ergo vestem tuam induis, quæ simplicior est, quæ-

quæque te Christi ancillam arguit, animam tuam ad laborem obdura: hodie, dicas, in Dei mei obsequio strenuam navabo operam; fui hactenus segnior, vel nunc me probabo fidelem. Tertia sit pudor nuditatis: ecce induo me, quia pudet & indecens est me sine veste apud homines comparere: pudet ergo sine indumento apparere coram hominibus? multò magis pudeat sine apparatu virtutum comparere coram Angelis & Deo, illo Deo, qui dixit: *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus.* Sumne & ego nuda adhuc? sum etenim, testes autem sunt cordis distractio in orationibus (quæ quasi pudor est comparendi coram Deo) & animæ frigiditas in divino amore. Ut ergo ego vestio corpus meum, indue sic etiam pie domine induviis virtutum animam meam. Quarta denique esse potest, idque iis diebus, quibus ad sacram Synaxin accedendum, homo ille, qui sine veste nuptiali sese Nuptiis ingesserat: *Ingressus autem Rex, ut videret discumbentes, vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit.* Sumne ego necessariâ hac veste ornata? & taliter vestita & compta accessine hactenus ad mysticas nuptias? non sanè, sordes imperfectionum & vitiorum meorum lacinia arguunt contrarium: ne igitur Dominus ille, qui dissimulavit hactenus, & me deprehendat, vel hodie confundat, eum ornatum ab hac die curabo, eluam vitiorum maculas aquâ mortificationis, &c. Alias non addo, quia superfluas reor, cum cuique plures occurrent, quæ eas advocarit.

Talis itaque si vestem sumas, jam vestitus tuus a-

G

scen-

Apoc. 16:

15.

Matth.

22: 11.

12. & 13.

scensus erit & descensus, & ut fit, si non fuerit hactenus, imposterum allabora.

§. I V.

De Oratione Matutina.

Exod. 30:
7, 8.

PRæceperat Dominus: *Adolebit incensum super altare Aaron suave fragrans: manè quando componet lucernas incendet illud, & quando collocabit eas ad vespertum, uret thymiama sempiternum coram Domino in generationes vestras.* Quod mandatum, si mystice intelligatur, ut nunc intelligi debet, cum teste Apo-

1 Cor. 10:
11.

stolo Judæis in figuris omnia contigerint, plura documenta nobis suppeditabit. Aaron namque, quem respicit hoc præceptum, quique Sacerdotio fungebatur inter Israëlitas, Christianos quosque designat, quos D. Joannes in sanguine Christi lotos ab eoque

Apoc. 1:
5, 6.

Sacerdotes consecratos scribit, *Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Jesum*

1 Epist.
2: 5.

Christum, addit D. Petrus. Altare Cor adumbrat. Incensum fragrans & Thymiama Orationem ex Apocalypsi D. Joannis, ubi visos à se xxiv Seniores cecidisse refert coram Agno in cœlo habentes singulos

c. 5.

Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, & venisse Angelum, atque in conspectu Dei ante Altare stetisse habentem aureum

c. 8. vers.
3.

thuribulum, *Et data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum quod est ante thronum Dei.* Quod autem hoc Sacrificium requiratur manè & ad vespertum, & quando componendæ sunt lucernæ, quid nisi Oratio Matutina &

Vesper-

Vespertina mandatur, & quomodo illa instituenda præscribitur? De Matutina nunc agemus, de Vespertina acturi ubi ad vesperum processerimus.

Ut itaque hæc Ascensus & Descensus sit, duo tibi agenda sunt, quæ & in relato præcepto indicantur.

Primò incendendus Suffitus, id est, in genua te abjiciens humillimas Deo gratias ages pro præteritæ noctis custodia. Spero ego cujusvis vestrum hoc primum esse exercitium, eamque omnium sollicitudinem, ne id unquam omittatur: ad quod serviet, si, ubi vestem indueris, magno te periculo exemptam tibi persuaseris, quo plurimi alii perierunt, ideoque ad agendas Sospitatori tuo gratias properandum: non est hæc otiosa sed fundata consideratio. Quot namque vesperi decumbunt sani ac vegeti, & manè inveniuntur in strato mortui? id factum audivimus sæpius, & subinde etiam vidimus in nostris. Nonne idem & tuum potuisset esse fatum? quis dubitet? quodque tuum non fuerit, divinæ protectioni id ascribendum, ideoque gratias agendi desiderio ad Oratorium properabis. *Cum diluculo surgimus*, monet D. Maximus, Hom. 1. de divers. *debemus, priusquam procedamus è cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus seculi actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodivit.* Quid namque ageres si naufragii & submersionis periculo à quopiam educeris, & incolumis in littore collocareris, nonne infinitas ei gratias pro beneficio mox ageres? idem fac & Deo, & quia in hoc tardior quandoque fuisti, fortè inde ortum habuere somnia ingrata & minùs honesta phantasmata, quæ, licet pec-

cata non sint nisi in vigiliis causam voluntaria dederis, animum tamen disturbant & ad Dei obsequium minùs idoneam reddunt.

Actis autem gratiis ad componendas lucernas, quod secundum est, transibis: de quo plurima dicenda forent, quorum hoc compendium: fiet id, si concepto proposito fideliter Deo tuo serviendi diem præsentem tuis cogitationibus percurras considerando & quasi prævidendo de manè ad vesperum quid tibi occurreret, statuendoque quid in omni occurrentiâ tibi agendum. Quo factò tanquam supererogationis opera aliqua superaddenda concipies, videlicet mortificationis vel cuiusdam alterius virtutis, quidque singulis horis ad campanæ sonitum faciendum erit. Quâ dispositione factâ, gratiam & suppetias à Deo ad ea operi mancipanda, Angeli tui custodiam & Deiparæ ac Patronorum tuorum suffragia postula- bis. Hoc ego Exercitium maximi semper feci, de quo

1 Imit. 3. & Kempæus: „ Bonus & devotus homo opera sua „ priùs intùs disponit quæ foris agere debet, nec illa „ trahunt eum ad desideria vitiosæ inclinationis, sed „ ipse inflectit ea ad arbitrium rectæ rationis: quis „ habet fortius certamen, quàm qui nititur vincere „ seipsum? & hoc deberet esse negotium nostrum, „ vincere videlicet seipsum, & quotidie seipso fortio- „ rem fieri atq; in melius aliquid proficere. Hæc Scri- „ ptor ille Asceticus. Idque dependet à matutina diei dispositione, tum namque tibi suppetit tempus, quo omnia tua cum Deo tuo conferas, eumque consulas

Psal. 118: in omnibus cum eo cuius vox: *Consilium meum ju-*
24 *stificationes tuæ.* Recollige an non inde ortum habuerint multiplices tui defectus, quia in hoc sæpius

piùs defuisti, tela namque prævifa minùs feriunt.

Assuesce itaque huic praxi: nunquam tibi expeditior ad Deum accessus quàm in aurora, à cuius consiliis & auxiliis dependere debet vita tua, qui dixit: *Ego diligentes me diligo, & qui manè vigilant ad me, invenient me.* Licèt adalloquia tua vacet semper, nunquam tamen quàm tempore matutino hæc ei gratiora. Manè lucernæ componebantur in Tabernaculo, eodem tempore compone cum Deo easdem in Sacrario cordis tui: nota, non accendi tum eas solitas sed componi, quia ardebant semper, quo discas tibi sine intermissione advigilandum perpetuò, manè tamen renovandam prudentiam. Manna colligebatur manè: *Colligebant manè singuli quantum sufficere poterat ad vescendum, ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam & ad ortum solis te adorare,* habet S. Scriptura: quotidianum animæ tuæ nutrimentum manè colligendum pro toto die. Ovibus cùm manè emittuntur ex ovili adest opilio, qui eas educat ad pascua & toto die custodiat: opilio sit hæc tua præ & providentia, quæ à manè usque noctem potentiis tuis adsit & operibus, eaque ad pascua virtutum dirigat. Monet proinde Apostolus: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit: abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis sicut in die honestè ambulemus.* Quæ autem opera tenebrarum nisi peccata & vitia eorumque operationes? illa manè rejicienda sunt, firmâ animi resolutione in eorum excidium, ut enim Ægyptios Israëlem persequentes manè occidit Dominus: *Famque advenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per*

Prov. 8:

17.

Sap. 16:

28.

Rom. 13:

12, 13.

Exod. 14:

24.

lumnâ ignis & nubis interfecit exercitum eorum. Ægyptii Israëllem persequentes peccata & vitia sunt, ita & hæc in vigiliâ matutinâ interficienda. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Quæ autem illa nisi virtutes, seu potius efficacia earum proposita? Hæc tunc concipienda sunt: sicut in die honestè ambulemus.

Nunquam itaque hoc Exercitium negligas, ad quod te provôcet Avium cantus matutinus, & Spon-

Marc. 1: 35. si ac Domini tui exemplum, *qui diluculo valde surgens egressus abiit in desertum locum ibique orabat.* Age gratias pro præteritæ noctis custodia, eamque ab eodem pro die præsentis implora, & cùm is fortè futurus sit ultimus, quis enim scit? considera quomodo perfectè vel hunc tandem divino obsequio impendas, quid Dei amore velis omittere vel agere, & ut, quæ concipis, operi mancipies, expostula suppetias divinæ gratiæ: „ Cùm manè fuerit puta te, „ ad vesperum non perventurum, (monet Kem- „ pæus) vespere autem factò manè non audeas tibi, „ polliceri: semper ergo paratus esto & taliter vive, „ ut nunquam te imparatum mors inveniat: quan- „ do illa extrema hora venerit multum aliter sentire, „

1 Imit. 23. n. 3. incipies de tota vita tua præterita, & valde dolebis, „ quia tam negligens & remissus fuisti. Age, age, „ nunc charissime, quicquid agere potes: dum tem- „ pus habes congrega tibi divitias immortales, præter „ salutē tuam nihil cogites, solùm quæ Dei sunt cures. „

Ps. 5: 4. 5. Praxis hæc si non fuerit usque huc sit tibi amodò familiarissima, fuit certè talis Psalti: *Quoniam ad te orabo Domine: manè exaudies vocem meam: manè astabo tibi & videbo, quoniam non Deus volens iniquitatem*

tatem tu es, & in matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem. Idque eo successu, ut dicat: *Pf. 100:8*
Pf. 83:6
 Beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit. De quo etiam Ecclesiasticus: *Tradet* ^{c. 39:6, 10.}
 cor suum ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur, & ipse diriget consilium ejus & disciplinam, & in absconditis suis consiliabitur. Quare? quia tradet cor suum cum omnibus cogitationibus & actibus, ideoque non ut suum, sed tanquam Dei id ipsum custodiet.

Antequam tamen finio commendatum sit tibi ^{2. Instit. Christian. pietatis c. 11.}
 Exercitium, quod suggerit & maximi lucri notat Illustrissimus noster Rovenius, ut pactum cum Deo inear: nempe quod ad certa quædam, signa v. g. sonitum campanæ, aspectum cœli, tunctionem pectoris &c. (nam signa pro placito assumi & multiplicari possunt) toties teipsam velis Deo offerre, dolere de peccatis, renovare proposita, Deum adorare, laudare, &c.

§. V.

De Meditatione.

DUO apud Israëlitas erant Altaria, Holocausti scilicet & Thymiamatis, hocque intra Templum, illud autem in Atrio: duplici hoc Altari duplicem Orationem, vocalem nempe & mentalem significari tradidit Origines: Anima namque quælibet ^{Hom. 10. in L.}
 Dei Templum est, & iteratus testis est Apostolus, ^{Num.}
Nescitis, inquiens, quia Templum Dei estis? si quis autem ^{1. Cor. 3: 16, 17.}
 tem

tem Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: Templum enim Dei sanctum est quod estis vos. Offert autem in Ara Holocausti sacrificium, quisquis Vocalem Orationem fundit, de qua actum §. præcedenti: in Ara verò Incensi, quisquis orat mente seu Meditationi vacat, de quo nunc tractandum, quia ex Regulâ vestrâ Mentalis Oratio sequitur immediatè post Matutinam Vocalem, quæ cùm plura dicenda supeditet, in plures partes hunc §. dissecabimus. Ubi tamen, quæ fusiùs pertractanda sunt, priùs in compendio exhibuerimus, quod habet Autor Epistolæ ad Demetriadem Virginem:

*Apud
August.
Epist. 142.
c. 23.*

Quamquam omne vitæ tuæ tempus, (is inquit,) divino debeas operi consecrare & nullam prorsus, horam à Spirituali profectu vacuam esse conveniat, cùm tibi in lege Domini die ac nocte meditandum sit, debet tamen aliquis esse determinatus & constitutus horarum numerus, quo plenius Deo vaces, & qui te ad summam animi intentionem velut quadam lege contineat. Optimum est ergò hunc operi matutinum deputari tempus, id est, meliorem diei partem, & usque ad horam tertiam quotidianæ in cœlesti agone certantem hoc velut spiritualis quodam palæstræ exerceri Gymnasio: his tu per singulos dies horis in secretiori domus parte oratione clauso cubiculo tuo. Adhibe tibi etiam in urbe solitudinem: & remota paulisper ab omnibus propius Deo jungere, aspectuique tuorum reddita lectio- nis fructum & orationis ostende. Nihil enim in hoc secreto magis agere debes, quàm animam divinis eloquiis pascere, & quantum ei per totam sufficere possit diem, hoc eam veluti cibo pinguiore satiare.

PARS

P A R S I.

De Quidditate Meditationis.

E Am, Intellectus discursum circa res pias ad movendam voluntatem ad bonum, scribunt Ascetici Doctores: quâ definitione totam ejus naturam proponunt eâ etiam complexi quadruplicem ejusdem causam; Materialem, quæ sunt res piæ & omne id quod natum est animam ad virtutes incitare atque à peccato & vitiis revocare: Formalem, quæ discursus est sive atenta & cunctabunda consideratio, non improvisa & momentanea ut Cogitatio: Efficientem, quæ intellectus est non se solo, sed divinæ gratiæ lumine illustratus: Finalem denique, quæ est motus voluntatis ad mali odium, Dei amorem & virtutis exercitium: hæc omnia brevi sententiâ complexus est Psaltes: *Lex tua meditatio mea est* addito D. Ps. 118. Augustini Commentario: *hæc meditatio amantis est cogitatio*. Ea namque voluntatis ab intellectu est dependentia, ut nihil volitum sit nisi cognitum, ideoque voluntas potentia cæca nuncupatur, quod non videat nisi illustrata & docta ab intellectu, licet ei liberum semper maneat sequi ductum intellectus vel non, & ad sequelam citra ullam tamen coactionem inducatur efficacibus motivis, quæ in Meditatione excogitantur.

Ut autem discat, si quæ rudis etiamnum est, quomodo instituat Meditatio, sciendum quatuor puncta observanda.

PRIMUM est, ut meditatura tibi in mentem

G 5

revoces

revoces seriam & attentam divinæ præsentiae cogitationem, idque sive eliciendo actum fidei circa omnipræsentiam Dei cœlum terramque sua immensitate replentis, sive ipsummet Deum per eandem fidem apprehendendo, non modò ut localiter præsentem, sed etiam ut intimè nobis ipsis inexistentem nosq; divinitatis suæ præsentia vivificantem, juxta illud Apo-

Act. 17: stoli: *In ipso vivimus, movemur & sumus*, unde &
28. David illum nuncupat *Deum cordis sui*. Sive etiam
Pf. 72:26. considerando Christum Dominum secundum humanitatem suam è summis cœlorum in nos prospectantem, sicut illum vidit Protomartyr Stephanus,
Act. 7:55. & de eodem mystica sponsa loquens, *En ipse stat*, inquit, *post parietem, respiciens per fenestras prospiciens per cancellos*. Sive denique ipsummet Christum secundum eandem humanitatem nobis astantem proponendo, aut sub sanctissimi Sacramenti speciebus, si hoc adfit, realiter præsentem adorando: ut ex Sa-
Part. 2. lesio in *Sacerdote Christiano* tradit Abellius.
c. 4.

SECUNDUM est, ut cum omni humilitate ad pedes ejus abjecta gratiam postules, quæ tuum intellectum illuminet voluntatemque inflammet, quatenus è subsequutura Meditatione melior evadas: Da
Pf. 118: *mibi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.*
34.

TERTIUM est propositæ materiæ consideratio, quam, tanquam à Deo tibi traderetur revidenda, acceptabis, ut reminiscaris quid feceris, & quid tibi faciendum fuerit, videas: si à præscripto vitam tuam discordem deprehendas, tunc ad voluntatem progrediendum, eique proponendum quid actum fuerit, & quid agendum fuisset, eamque acrius commovebis,

movebis, ut statuatur aliam viam ingredi cum actibus doloris, admirationis, &c. Excogitabisque rationes conformandi te præscripto vel à Deo tibi suggeri postulabis, quæ, si occasio sic ferat, eodem die executioni mandabis cum Zachæo: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus*, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Luc. 19: v. 8.

QUARTUM denique est, ut pro accepta instructione gratias agas, & divinæ gratiæ subsidia flagites, quod eam operi mancipies, ubi & Deiparæ ac patronorum tuorum suffragia expeti poterunt.

Ex quibus nunc manifestum est, cur SS. Chrysostomo, Irenæo & Augustino Oratio dicta sit colloquium animæ cum Deo: cur S. Damasceno ascensus spiritus nostri ad Deum: cur denique Hugoni Victorino piæ mentis & humilis ad Deum conversio fide spe & charitate subnixa. *Fide* quidem, nisi enim spiritualem tuam inopiam & egestatem sentias atque agnoscas, fervida esse non poteris: læsus, nisi vulnera noscat, Medicum non quærit: vinctus, nisi talem fenorit, liberatorem non suspirabit: pauper, nisi inopiâ torqueatur, ditiorum aures non fatigabit: *Fide*, meditatione hauriendus tibi hic sensus. *Spe* verò, id est, fiduciâ, non deneganda quæ quæris & petis, *revela Domino viam tuam & spera in eo, & ipse faciet*, Ps. 36: 5. monet Psalmista, est namque pater tuus, quem daturum pollicetur Christus Dominus *bona & spiritum bonum petentibus se*. *Charitate* denique quod Deo gratior in ejusque famulatu ferventior existas: hic tuus debet esse scopus, aliàs non meditabundam sed phantasticam ages: *Cogitatum tuum habe in præceptis Dei & in mandatis illius maximè assiduus esto*, inquit Eccle-

Luc. 11: 13.

c. 6: 37.

Eccle-

L. 6. de
Amore
Dei c. 2.

Ecclesiasticus, & ipse dabit tibi cor peccati odio ac charitatis ardore inflammatum & concupiscentia sapientiae dabitur tibi. Ideoque non incongruè D. Franciscus Salesius Animam meditabundam Api comparat: „Apis (inquiens interprete Lamormainio,) vernali tempore pergit huc & illuc volitando super flores & hoc non fortuitò sed ex instituto, non ad recreandum se solummodò visu variorum & jucundorum florum, quibus prata passim sunt redimita, sed ad investigandum & colligendum mel: quod cum invenerit, fugit, eoque se onerat, deinde delatum ad suum alveare artificiosè disponit, & accommodat separans ab eo ceram, ex illa faciens favos ad reponendum & servandum mel pro insectante hyeme. Porro talis est anima devota in meditatione: pergit ille ex uno mysterio in aliud non tumultuariè, neque solùm ad relaxandum & recreandum animum visu admirabilis pulchritudinis divinorum objectorum, sed ex proposito & causâ inveniendorum motivorum amoris vel allicujus divinæ affectionis, quæ, cum invenerit, ad se trahit, degustat seque iis onerat, & cum reduxerit ac collocarit in corde suo, in partem reponit quicquid proprium advertit suo profectui promovendo, tandem facit conformia decreta & proposita, quæ tempore tentationis sint profutura.

P A R S I I.

De Prærequisitis ad Meditationem.

HÆc ad numerum ternarium constringo, quorum

Primum est efficax voluntas & serium virtutis ac
 piæ vitæ studium: cum enim Oratio conversatio sit
 fermocinatioque cum Deo, nonne decentissimum
 est conversantem cum eo colloquentemque virtuti-
 bus exornatam esse & nitere puritate vitæ? idque
 significat Lavatorium, quod prope Aram Incensi ser-
 viebat Sacrificis mundandis: *Facies & labrum aene- Exod. 30:*
um cum basi sua ad lavandum, præcipit Dominus 17, 18,
Moyse, ponesque illud inter Tabernaculum Testimonii & 19, 20.
Altare, & missâ aquâ lavabunt in ea Aaron & filii
eius manus suas & pedes, quando accessuri sunt ad Alta-
re, ut offerant in eo thymiama. Quo Sacrificio dixi-
 mus supra meditationem adumbrari, jam addimus
 hoc Lavatorio designari vitæ munditiam ad Medi-
 tationis exercitium necessariam, quæ consistit in ma-
 num, i. e. operationum, & pedum, id est affectuum
 puritate, ut non modò à gravioribus delictis sit libera
 anima meditabunda, sed & virtutis ornatum studeat
 assumere. Servit huic nostro proposito quod de ado-
 lescentulo Joseph scribit Hagiographus: *Protinus Gen. 41:*
ad Regis imperium eductum de carcere Joseph totonde- 14.
runt ac veste mutata obtulerunt ei. Ita & anima tua,
 Virgo devota, per orationem offerenda Summo Re-
 gi, non modò debet eximi squaloribus & vincu-
 lis peccatorum ac vitiorum sed & tonderi debet, id
 est, inordinatis affectibus liberari ac cultu virtutis
 amiciri. Hic propriè locum habet, quod de Regis
 Assueri aula scribitur: *Non erat licitum indutum sac- Hest. 4:*
co aulam Regis intrare: Petit hic & requirit cultum 2.
 ornatiorem. Pueri illi Hebræorum, quos Rex Baby-
 lonis in aulam & familiam suam assumebat, erant de
 semine regio, sine ullis maculis, decori aspectu & for- Dan. 1. 6.
 mâ:

mâ : tales petit & Rex cœlestis, non senes sed juvenes fervore scil : non annis, Animos & indolem Regiam non suarum passionum mancipia, & vilis animas, mundas à vitiorum & peccatorum sordibus

L. de Virg. c. 55. & pulchras gratiâ virtutum. *Non quærit à vobis puram carnem*, inquit D. Augustinus, *sed pulchros*

Hest. 2. *mores, quibus fœnetis & carnem.* Virgines ad Regem Assuerum ingressuræ erant speciosissimæ & ornatissimæ : quis dubitat & tales à divino Sponso postulari? munda itaque te & exorna : de Domino scriptum

Luc. 6: 12. est : *Jesus exiit in montem orare.* Quid mons in Scriptura sonet, audisti sæpiùs, eum sequere & imitari.

Secundum est & proximius : ut vespere præcedente, vel ante Meditationem, non solum materiam relegas, quam abundantissimam suppeditant Meditationes Ludovici de Ponte, & Divina Eximii nostri Mattii Præsentia, sed & in ea prævideas, quos affectus quæve proposita inde elicias, ad instar illius qui vesperi ligna adfert componitque in fornace, ut flammam atque surrexerit ignem supponat & flammam excitet : aut sicuti is, qui summo manè aggressus iter, vesperi omnia sua convasat eaque præparat quæ ad illud conficiendum sunt necessaria, quò expedire possit ad abitum.

Tertium denique & proximum est, ut omnes alias cogitationes seponas, attenta & intenta futura presentis materiæ, præscriptum id à Christo Domino : *Matth. 6: 6.* *Tu cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Quod non de solo exteriori conclavi, sed & cum SS. PP. d. interiori cordis & mentis intelligendum, intra quod

in Meditatione oratur Deus, at ut hæc attenta sit careatque divagationibus, alienis cogitationibus jam ante occludendum ostium cordis eæque necessario sunt excludendæ, *clauso ostio*. Quod amplius illustratur ipsiusmet Christi factò & dictò, is celebraturus Pascha cum Discipulis suis selegit ex eis Petrum & Joannem, dixitque ad eos: *Euntes parate nobis* *Luc. 22:1* *Pascha, ut manducemus. At illi dixerunt: ubi vis pa-* *8.* *remus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem occurret vobis homo quidam amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: dicit tibi Magister: ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? & ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, & ibi parate.* Hac ratione significans cœnaculum cordis debere multò ante esse præparatum (juxta dicta in primo puncto) ut possit in eo Pascha Orationis celebrari, quæ meritò Pascha, id est, transitus appellari potest, cùm non aliud sit quàm transitus nostri spiritus ad Deum & adventus Dei ad spiritum nostrum, ut cum eo loquatur, eum instruat eique se beneficium exhibeat. At præter hanc præparationem necessarium esse ut Joannes & Petrus, id est, dilectio in illo, & zelus in hoc adumbratus, reliqua requisita disponant: invocandus etiam & rogandus exercitus Angelorum, ut tanquam viri fortes ambiant & custodiant sapientissimi lectulum Salomonis, *Cant. 3.* ne hostes tuam orationem perturbent: fervens etenim & vehemens propositum nullam spontaneam admittendi distractionem, nec terrenam affectionem, aut intentionem minùs rectam, maximi est momenti, eaque animi resolutio ac decretum erit tanquam fortis

- Luc. 11.** tis armatus custodiens atrium suum & in pace confervans omnia quæ possidet. Dixit autem aliqua variis se cogitationibus distrahi, nec posse pro libitu eas manu mittere: cui ego respondeo, seu potius eam pro responso ad factum Christi Domini remitto, de quo
- Matth. 21: 12, 13.** Evangelista: *Intravit Iesus in Templum Dei, & eiciebat omnes vendentes & ementes è Templo, & mensas numulariorum & cathedras vendentium columbas evertit, & dicit eis: Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur. Ejecit autem eos: (ex D. Joanne) Cùm fecisset quasi flagellum de funiculis. Cedent facile, ubi tibi serium viderint suum exilium suæque præsentiae odium. Conandum tamen ad hoc semper, ut cogitationum tuarum Dominium etiam extra Orationem retineas, easque sub fræno voluntatis tuæ compescas. Abraham dilectissimum suum Isaac immolaturus itineris comites ad pedem montis relinquebat: dixitque ad pueros suos: *Exspectate hic cum asino: ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Tuam in meditatione voluntatem gratissimum Deo Sacrificium immolatura. Idem fac ac dic & tu, utque id possis, nunquam cogitationibus laxes habenas, quæ cæteroque quin detrectabunt imperium, utpote ei non assuetæ: *habentes quidem conversationem in Urbibus, suggerit**
- Serm. 34.** Antistes Mediolanensis, *possideamus mente desertum.*

Repeto itaque quæ dixi & moneo: imprimis ut serium sit tibi & cordi studium virtutis ac puritatis: ædificarat Salomon Templum & ornat, postea preces in eo & hostias immolabat. Deinde prævide quæ proposita quosve affectus elicias è præscripta Meditationis materiâ ad instar Sagittarii qui in scopum

pum collimat antequam sagittam emittat. Alienas denique cogitationes tantisper sepone: ingressura ad Deum nunquam gratior quàm cum sola compareas: Isaaco in agro meditabundo Rebecca occurrit: *Egressus fuerat ad meditandum in agro: occurret* Gen. 24: & tibi desiderium virtutis, sensus pietatis, spiritus 63. devotionis, si & tu egrediaris è tuorum negotiorum tumultu turbisque cogitationum: Isti Cameli sunt qui Rebeccam, id est, perfectionem ejusque divitias advehunt: *Cumque elevasset oculos vidit camelos venientes procul*, habet textus. Dic itaque cum illa: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur* Cant. 7: *in villis*, soli & extra strepitum omnem. 11.

P A R S I I I.

De Observandis sub Meditatione.

Dicit Sponsa à suo Dilecto introductam se in Cellam Vinariam, ibique ab eodem in se ordinatam charitatem: *Introduxit me in Cellam Vinariam, ordinavit in me charitatem.* Quod si secundum literam Cant. 2: accipiatur, mirum videbitur in cella Vinaria & potu, 4. ubi is ut plurimum amittitur, ea peracta quæ sapientem & præsentem sibi animum postulant: ideoque non literaliter, sed de Mysticâ intelligendum, quæ Meditatio est, cujus Vasa sunt Puncta Meditationis, Vinum autem affectus & proposita quæ ex iis depromuntur, verè vinum quod inebriando animam terrenarum voluptatum oblivionem infundit, interiora arescentis conscientiae humectat, & ad quoslibet virtutum actus audaciam sanctam communicat: verè

H

rè

Ps. 103: 15. *re præclarus calix inebrians: verè vinum, quod lætificet cor hominis.* Quæcunque autem Virgo in hanc *Cellam Vinariam* introduceris, sciendum tibi charitatem, quâ te à vitiis & imperfectionibus expedies atq; ad virtutes exstimulabis, debere in te esse ordinatam, gemino puncto rationem te docebit hic discursus.

PRIMUM est, ne nimis diu inhæreas considerationibus intellectus, sed ac primùm per eas commotam sentis voluntatem ad hujus affectus progredere, iisque immorare quousque licet. Ad excitandum ignem tam diu ferro percutitur silex, quousque in superpositam materiam favillas disperferit, illaque eas exciperit, flammâ autem excitatâ deponitur igniarium, quia non ampliùs necessarius ejus usus, & igni assidens qui frigidus erat sese calefacit, vel eâ in cibum præparat, quæ necessitas requirit: Igniarium Animæ est Meditatio, in quâ per intellectus considerationes ex objecta materia quasi silice eliciuntur, & tanquam ferro excutuntur favillæ piorum affectuum, ut iis accendatur ignis amoris, quo incalescat anima, ubique præparet quæ vitæ spirituali sunt necessaria, de quibus Psaltes: *In meditatione mea exardescet ignis.* Excitato autem hoc igne in corde tuo, ulteriùs occupari intellectum non jam necessarium aut utile: sed igni te appone, omnem animi torporem & frigiditatem cordis excutiat propellatque charitatis igneæ flamma accensa: præpara cum ea quæ languidum & famelicum spiritum confortent ac reficiant, id est, diversos affectus provoca aut sponte erumpentes foveat mora diuturnior, nullâ hîc opus festinatione. Ubi Maria, Intellectus scilicet sedens secus pedes Domini audierit Verbum illius, & hæc illud Martha

forori suæ, Voluntati scil. intimaverit, satisfecit illa officio suo, nec cogenda est ad amplius ministerium: huic nunc soli hîc satagendum nec timenda reprehensio: cessant namque media fine obtento, qui in Meditatione, ut p. 1. dixi, est commotio voluntatis, cui subserviunt discursus intellectus.

Moyſes sitibundum populum refocillaturus virgâ suâ bis filicem percussit, & egressæ sunt aquæ largissimæ, ita ut populus biberet & jumenta. Ut aquam eliciat percutit petram, aquâ jam effluente manum cohibet, & ad aquam omnes properant quò sitim sedent: in Meditatione percutis filicem cordis tui, quò aquam elicias piorum motuum, desideriorum ac propositorum: intellectus considerationes hîc ictus sunt: si ad primum ictum, id est, intuitum non profluant, eum itera: ubi autem emanarint, ab eo cessa, ad illa propera, lava ibi & elue maculas ac sordes, quibus animam tuam vides infectam, actibus contritionis, eamque arescentem humecta per nova proposita & efficacia desideria. Urbem Jerichuntinam obsessurus & expugnaturus Josue dux hebraici populi misit duos exploratores cum mandato: *Ite & considerate terram urbemque Jericho*: quo facto Josue 2: omnem ei admovit exercitum, omnesque vires, ut 1. eam subigeret, quod & præstitit: Jericho sunt vi- Ibid. c. 6. tia tua & imperfectiones longâ consuetudine munitæ: vis eas expugnare & à fundamentis eruere? Josuen imitare, tanquam exploratores præmitte intellectus considerationes, quibus de iis edocearis quomodo & quâ viâ delendæ sint: quo cognito: in earum excidium admovendæ sunt omnes vires voluntatis, exploratores sequantur milites, notitiam opera:

Luc. 23:
34.

opera: quod & in acquirendis virtutibus observandum: *ite & considerate terram.* Occurrit exempli gratiâ, ut dicta practicè explicem, materia de Christi mansuetudine inter medias, carnificum suorum blasphemias orantis: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*: consideras ibi Creatorem à creaturis, Dominum à servis, Medicum à phreneticis, tam multa indigna inter tormenta media audire, & tamen tanta uti mansuetudine, & cum excusatione veniam iis exorare: idque voluntati proponis imitandum: hactenus suas partes egit intellectus, illa autem, si ad imitationem Salvatoris sui, & mansuetudinem commoveatur, obeat jam vices suas: doleat toties irritatam se & exasperatam vel per leve etiam verbum, proponat emendationem, cum intellectu excogitet, ubi & quando ac quomodo exercent hanc virtutem vitiumque contrarium eradicet. Ecce hæc praxis doctorum, quæ & in aliis materiis usuvenit, familiaris Davidi: *Perfecit pedes meos tanquam Cervorum, & super excelsa statuens me: qui docet manus meas ad proelium: persequar inimicos meos, & comprehendam eos, & non convertar donec deficiant, &c.*

Ps. 17.

SECUNDUM est, ne sola loquaris toto Meditationis tempore: Oratio namque, ut dictum sæpius, conversatio est sermocinatioque cum Deo, ideoque & is audiendus. Ea quarumdam imprudentia est seu potius impudentia, ut ei ferè numquam loquendi spatium indulgeant sibi; solis, suis scil. intellectus actibus aut voluntatis affectibus, omne tempus vindicent: at quando norunt orationes suas colloquia esse cum Deo, & ipsi attento cordis silentio ad loquendum spatium indul-

Ps. 84: 9. gent: *Audiâ quid loquatur in me Dominus Deus. Dicunt*

eæ cum Samuele: *Loquere Domine: quia audit servus tuus* 1 Reg. 3:
ancilla tua. Imitandi tibi sunt pueri, qui ali- 10.
 quod opificium addiscunt, ii, ubi nesciunt quomodo
 progredi debeant, ad Magistrum recurrunt, peten-
 tes ab eo instructionem: quod autem tuum ô Vir-
 go opificium? nonne ut habitus virtutum acquiras?
ut sis sancta corpore & spiritu, testatur Apostolus: in 1 Cor. 7:
 Meditatione quasi es in tyrocinio tuo sæpius sub ea 34.
 ad eum pro instructione recurre: Non est quod te
 importunam vereare, volupe namque ei in tui insti-
 tutione distineri, suo te alloquio dignari: ait nam-
 que: *dilata os tuum, & implebo illud.* Verè felices quæ 11.
 suo hîc probè funguntur officio, quæ suspensis om- Ps. 80:
 nibus intellectus aut voluntatis actibus ad vocem
 Domini norunt attendere. *Sedebit solitarius & ta- Thren. 3:
 cebit, quia levavit super se,* scribit Jeremias: etenim 28.
 considerans attento tristisque oculo omnes suas im-
 perfectiones vitia ac defectus & inops consilii, quî
 ex omnibus hisce eluctetur atque emergat, *tacebit*
 consilium atque auxilium à Domino præstolabunda:
 fructum experta erat quæ dicebat: *anima mea lique-* Cant. 5:
facta est cùm locutus est dilectus meus: liquefacta est, 6.
 & ut cera liquida omnes formas recipit, ita & hæc
 omnes virtutum habitus: liquefcit autem ad divi-
 na alloquia, ad quæ & ignescit intimo charitatis ardo-
 re Psalmographo teste: *Ignitum eloquium tuum ve-* Ps. 118:
hementer, & servus tuus dilexit illud. 140.

Itaque, Virgines, voluntatem inflamment in-
 tellectus considerationes: Elizæus Eliæ pallio
 percutiens aquas Jordanis cùm ad primum ictum
 non cederent, eum iteravit, & *divisæ sunt huc* 4. Reg. 2:
atque illuc, & transiit Elizæus. Idem faciendum 14.

& vobis, actibus intellectus aperiendus vobis transitus ad virtutes à vitiis, & transit: sat diu percussus, ubi ad pios affectus patet voluntati progressus. Habeat præterea & Dominus suas loquendi vices, non vult is semper discursivas Marthas & sollicitas circa frequens ministerium, quas calpat; sed requirit & laudat assidentes sibi suoque verbo attentas Marias: *Unum* quod *necessarium* procuret Martha, id est, intellectus per suas considerationes, sed quod *optimum* amplexetur Maria, id est, voluntas, assideat illa & audiat Dominum: Oritur inde vestra ignorantia in iis quæ spiritus sunt, quia aures cordis divinis inspirationibus patulas non exhibetis: rarò proficiunt amantes opinionis propriæ, homines sui ce-
 Ps. 54. rebri: aliter Psalter: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo & requiescam: ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine: expectabam eum qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus & tempestate.*

P A R S I V.

De mentis evagatione & ariditate cordis.

c. 3.
 vers. 1. **D**escribitur in Canticis Sponsæ Dilectum suum quærentis diligentia, res auditu jucunda: In *lectulo meo*, inquit, *per noctes quæsi vi quem diligit anima mea, quæsi vi illum, & non inveni: nec mirum, non enim invenibilis est in deliciis & sensualitatibus: surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsi vi illum & non inveni, quia neque in divagationibus neque in tumultu hominum potest apprehendi. Invenierunt me vigiles, qui custodiunt civitatem, num quem diligit anima mea videristis?*
 vers. 3.
 vers. 4. *verum & hi eam ulterius remittebant. Paululum cum*

cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea: Sed quid agit: Tenui eum nec dimittam. Utinam, Filia mea, omnium vestrū eadem esset amica violentia, ubi in Meditatione animæ vestræ Sponsū inveneritis, quem investigat Intellectus, Voluntas autem adoritur & apprehendit, tenui eum nec dimittam. Utinam & omnium vestrū ead. esset in eod. quærendo & inveniando diligentia! at plurimæ in utroque deficiunt, de quo nunc agendum: est autem Defectus

PRIMUS, Mentis Evagatio: non benè quærunt, quotquot ei indulgent, cum per intellectus considerationes quæri debeat, ideoque nec inveniunt. Vis autem quærere quomodo quærendum est? cogitationes tuas intra objectam materiam conclude, &, si quæ aliæ irruant, repelle seu potiùs negligè, ad instar illius, qui aliquò properans seu quærens quid magni momenti, interpellantes rejicit, utpote aliis occupatus: Cæcus ille Mendicus, qui sedebat secus viam Luc. 18: mendicans, cum audisset advenientem Jesum, clamavit dicens: Jesu fili David miserere mei: cumque à præeuntibus ad silentium cogeretur, ipse multò magis clamabat: Fili David miserere mei. At quo fructu? Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se: & cum appropinquasset, interrogavit illum dicens: quid tibi vis faciam? at ille dixit: Domine ut videam. Et Jesus dixit illi: respice. Hunc Cæcum D. Gregorius Orationis magistrum appellat prototyponque benè orare volentium. Exponis te ad mendicandum, cum ad orationem te componis: norunt id, quæ noscunt spirituales suas indigentias & necessitates, sperant Jesu adventum & accessum, neque spe suâ fraudantur, Desiderium namque pauperum exaudivit Dominus, Ps. 9: 17.

præparationem cordis eorum audivit auris tua. Cùmque is jam approximet, alienæ sæpiùs cogitationes & distractiones sese interponunt, & impedire fatagunt ne Dominum alloquaris, eique necessitates tuas exponas: experimur id omnes in nobis, & quoties non cedimus? at vide quid te doceat hic Cæcus: ad alloquia furdum se præbet, imò *multò magis clamabat*: eum imitare. O si eousque posses eluctari, ut videret audiretque tuam piam sibi gratissimam importunitatem! O si interpellantes repelleres pertinax! sui certè copiam tibi indulgeret, te ad se juberet adduci, quæreretque: *Quid tibi vis faciam?* quid autem responderes, nisi quod hic mendicus: *Domine ut videam*: ut te & me videam, qualis sim & qualis esse debeam, quid omittendum, quid faciendum, virtutum pretium & mundi vanitatem: forent tibi omnia salva si usque huc nosse eluctari, ac penetrare, diceret & tibi: *Respice*, quæ modò tota cæca divagaris, ideoque tam frequens in offensa & lapsu;

Ihren. 3: Bonus enim Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum. Notandum non petere hunc Mendicum à

Domino divitias vel quid aliud, sed tantum visum, *Domine ut videam*: quia tum sibi ad omnia sufficebat: ut spiritualement visum Dominus concedat solummodò flagitandum, quia eadem gratia quæ intel-

Pf. 118: Etum illuminat etiam voluntatem inflamat. *Intellectum da mihi & vivam*: nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas? inquit duo illi Discipuli reduces ex

Luc. 24: Emmaus. Imitare itaque Virgo devota illum Mendicum, importunas cogitationes abjice seu potius negligere,

A

At dixeris, licet annitaris ad hoc, nihil tamen te proficere: non miror, nam qui domi recreationem non habet, eam foris & in comparitionibus ac popinis quæritat: ita & mens quæ in animæ domicilio delicias non habet depositas foris evagatur, aliàs, *delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* *Ps. 36: 4.* Ingressa in Templum voluntate ac desiderio orandi, si videas illud incompositum & immundum, confractas imagines, Aram indecenter præparatam, magnumque audias transeuntium strepitum, mox inde te corripis, quia non potes, ut optas, orare: si autem sit mundum, ornatum & quietum, imagines piè benèque exornatæ, invitabunt te hæc omnia ad orandum hærendumque diutius in oratione: eodem modo si Templum cordis tui sit peccatis immundum, passionibus confractum, fœdis vanisque imaginationibus turbatum, quomodo ibi poteris manere & orare? munda igitur hoc Templum, exorna & pacifica, & ipsa mundities cordis tui delectabit te, faciétque te orare: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum* *Matth. 5: 8.* *videbunt*, qualis namque esse desideras in Oratione, talis sis ante illam.

SECUNDUS est cordis ariditas, quâ inventus non amicè detinetur, sed dimittitur: consistit autem hæc in inopia piorum affectuum, quibus ille tenetur, ii compedes sunt & vincula, quibus ligatur & constringitur. Dolent plurimæ exiguas se & raras in meditatione experiri consolationes, nec cœlesti se ambrosiâ inebriari, sed ideò est, quòd voluntatem non pandant, ait namque, *dilata os tuum, & ego implebo illud.* *Ps. 80: 11.* Constat ex defectu vasorum vacuorum stetisse oleum, quod tam diu fluxerat quam diu ea ad manum

4 Reg. 4. erant: *Ingredere*, dicebat viduæ Elizæus, & claud
ostium tuum, & mitte inde in omnia vasa, quod cum
vers. 6. faceret, peteretque plura, nec essent: *stetit oleum*.
Oritur & hic defectus inde, quòd non fervidè satis
cum Domino agant, deserit eas quæ eum negligunt
at apud eas moratur, quæ inspirationibus ejus obe-
diunt, suggestionibus parent sèque totas ejus oble-
quio mancipant & impendunt. Amat cor simile do-
mui Marthæ, ubi Maria sedet secus pedes ejus, au-
diens verbum illius, & Martha satagit circa frequens
ministerium, ubi de Maria Martha conqueritur. Si
tale hospitium cor vestrum, & libenter ibidem di-
vertetur Dominus: Vacant ea diversoria & adven-
desituuntur, quæ carent hospite affabili ac commo-
dis hospitiiis: vult excipi benevolè, haberi commodè
tractari lautè quisquis symbolum solvet, idem senti-
endum de Domino: talis hospes erat D. Antonius
Eremita, qui sine tædio totis etiam noctibus ei assi-
debat, querulus ad ortum solis: *Quid me*, inquit
impedis sol, qui ad hoc jam oriris, ut me ab hujus
luminis abstrahas claritate? & meritò, ut enim ait
Isaias: *Requiem tibi dabit Dominus semper, & imple-*
bit splendoribus animam tuam, & ossa tua liberabit,
& eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cu-
jus non deficient aquæ.

Quotquot itaque verè Deum quæritis, duplex
hoc impedimentum removete: & quidem primò
omnes distractiones, ne dicatur de vobis illud Isaias:
17. *Abiit vagus in via cordis sui*, sed attentæ ad obje-
ctam materiam fructum propositum inde elicite: ten-
tat Deum quæcunque contrarium facit: Magnam
injuriam Deo facio, cùm illum precor, ut meam
S. pre-

Isai. 57:
17.

S. Bern. in
Medit. c.
S.

, precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio: deprecor illum ut intendat, ego verò nec mihi, hi nec illi intendo. Tyrones, si operi non intendant, vel pueri, si librum non inspiciant sed nugas exercent & aliena tractent, Magistrum offendunt: ideoque Psaltes: *Erunt, ut complacent eloquia oris mei, & meditatio cordis mei, in conspectu tuo semper.* Ut autem intellectus attentus sit, assuesce piis considerationibus, dicere tum poteris ad libitum: *Convertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi:* ejus namque requies Oratio est, quâ vires reparantur & languores excutiuntur. Secundò insinua te in Dei tui affectum, cole sanctam cum eo familiaritatem, amicè & verecundè alloquere; aliàs, *Tu seminabis & non metes, tu calcabis olivam & non ungeris oleo, & mustum & non bibes vinum.* Expone ei necessitates tuas, subsidium & auxilium exposce supplex: cum Axâ filia Caleb petant suspiria tua *irriguum inferius & superius: coge eum cum Jacob: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Negare videtur? mendicos imitare ante ostia divitum cum patientiâ stipem expectantes, aliquando te audiat, si non potes continuo clamare, nec abibis in donata; ut enim chorda, quò magis ab arcu recedit, eò majore impetu ad ipsum accedit majoremque exhibet vim sagittæ, quæ per arcum jacitur, ita quò magis Deus videtur se ab anima amovere, eò ardentiori benevolentia in eandem sese postea denuò insinuat.

P A R S V.

De Agendis post Meditationem.

Quæ ad tria documenta reduco, eorumque

P R I-

PRIMUM est: ut eam revideas & breviter perlustres, quò observes quid sub ea benè ut aliàs continues, quid verò actum sit perperam ut impostorum emendes: constat pueros, qui scholas frequentant ut artem scriptoriam addiscant, scripta sua Magistro offerre revidenda, eumque, si quæ literæ male sint ductæ, alias apponere quas imitando vitium emendent seseque ea in arte perficiant: in Meditatione quasi in Schola es, ubi scribis non manu sed corde, non atramento & calamo, sed affectibus, ubi exaras Deo: quæ autem scripseris, intellectui tuo tanquam animæ Magistro exhibe, ut quæ corrigenda sunt demonstret: perficiet te in hac arte ea revisio. Est Meditatio animæ nuntia quam emisisti ad Deum, ut tuas ei miseras revelet, ejus auxilium imploret, ejusque gratiam conciliet: *Intret in conspectu tuo oratio mea*, dicebat Psaltes, *inclina aurem tuam ad preces meam: quia repleta est malis anima mea.* Et alibi vice: *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, juxta eloquium tuum da mihi intellectum: intret postulatio mea in conspectu tuo, secundum eloquium tuum eripe me.* Est inquam Meditatio animæ tuæ Nuntia ad Deum ablegata, examina eam an suo probè sit functa officio tuamque ritè causam egerit: si quem defectum deprehenderis, eum cavendum præcipe, nullum hîc locum habeat conniventia. Est illa animæ tuæ Oeconoma, quæ omnia procurare debet & præparare: esuris & sitis justitiam? hæc saturat te. Langues & deficis? hæc te reficit. Infelices illæ animæ, quæ hac Oeconoma destituuntur, talibus poenè omnia deficiunt: *Aruit cor meum*, ait Psaltes, à quo brevi solummodò tempore abfuerat, quia

Ps. 87: 3.
54.

Ps. 118:
169. 5
170.

Ps. 101:
5.

quia oblitus sum comedere panem meum. Eam autem quotidie ad rationes revoca, quos sumptus fecerit, quid benè quidve perperam compararit aut præpararit investiga: providæ & accuratæ ad animæ œconomiam vigiliæ summè sunt proficuæ, parit hîc emolumenta magna attentio & cura sollicita. *Manè cant. 7: surgamus ad vineas; videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica,* invitat Sponsa. Meditationem Vineam dico, in quâ crescunt vina piorum affectuum bonorumque propositorum, quibus inebriata anima exhilaratur in Deo sui que obliviscitur. Allicit Sponsa ad ingrediendum in hanc Vineam, & respicendum an flores & quos fructus proferat: qui cum desiderio flores vel maturos fructus ex horto præstolatur, sæpius plantas vel arbores invisit, curat quæ conducunt, removet quæ impediunt, sit & eadem Animæ piæ cura quæ flores & fructus sperat ex horto seu vinea Meditationis: *Manè surgamus ad vineas:* mox statim ac ea finita est.

SECUNDUM est, ut aliqua seligas quorum tibi memoria toto die inhæreat, nam cum homo sine cogitationibus esse non possit, ideo matutino tempore præscribitur Meditatio, non solum quia id aptius, sed vel maximè ut statim cum die ex eâ pia objecta colligat circa quæ versetur toto die. Selige ergò aliqua, quæ tibi præ reliquis sapuere, ruminare eadem manibus operi intenta vacas, videtur id exigere Dominus cum præscripsit: *Ignis in Altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna per singulos dies manè.* Idque Domino addicit Psalmographus: *Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquæ*

cogi-

cogitationis diem festum agent tibi. Quid namque est agere diem festum Domino, nisi ab omnibus operibus aliis feriari & solo divino cultui vacare? cogitatio itaque hominis confitetur Domino, dum in Meditatione ei exponit infirmitates suas, necessitates & indigentias spirituales, sua desideria & proposita: hujus verò reliquiæ agunt eidem diem festum, dum per diem circa eadem objecta occupantur: *Itaque sicut laborantibus manibus, urget Mellifluus Burgundio, nec oculus propterea clauditur, nec auris abstine ab auditu: sic omnino & multo melius laborante corpore mens quoque ipsa suo intenta sit operi, vacet.* Utinam filia mea in praxin deduceretur hoc dogma, quot phantasiæ & otiosæ cogitationes exularent. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua.* Quàm alacris ad actus mortificationis & virtutum exercitia animus assurgeret! volupe esset si ne fociis agere: *Non satis recordabitur dierum vite sue, eò quòd Dominus occupet deliciis cor ejus, at, gressate & videte quoniam suavis est Dominus.* Imitare itaque itinerantes, qui, cùm itineri sese accingunt, licet bonum jentaculum sumpserint, confecerunt tamen cibos quibus de die vescantur: omnes nos in via perfectionis itinerantes sumus, non satis est in matutina Meditatione refecisse spiritum (jejunæ autem accingunt se itineri quotquot illam negligunt, ideoque tam debiles toto die) sed necesse est memoriæ tuæ corbem adimpleas, quò pro tota die tibi provisum sit. Querulæ subinde estis de distractionibus, sed huic praxi assuescite, certus sum quòd ea non multum vos turbabunt aut affligent: assueverant ii, quos D. Gregorius fornicationem judica-

Serm. 4.
ad Milites
Templi.

Pf. 118.
85.

Eccles. 5.
19.

Pf. 33: 9.

resolitos testatur vel ad momentum à Christi contemplatione discedere.

TERTIUM denique & præcipuum est, ut, quæ facienda concepisti, datâ occasione per diem operi mancipes: eadem, quæ Psaltis, sit & tua sententia:

Os meum loquetur sapientiam, & meditatio cordis mei Ps. 48:4

prudentiam. Loquatur sapientiam, dum tibi notitiam tui & Dei tradit, dum te de vitiis erudit & virtutibus: loquatur & prudentiam, suggerendo quid hîc & nunc vel faciendum vel omittendum. Deum æmulare, qui ejectis è Paradiso protoparentibus ad ejus & ligni vitæ custodiam ante eum collocavit Cherubin & flammeum gladium atque versatilem: Gen. 3.

eodem modo & tu ejectis ex animæ tuæ Paradiso peccatis & vitiis ad custodiam ejus colloca Cherubin & gladium, id est, prudentiam & Zelum, illam ut advigilet, hunc ut irrumpentes mox abigat. Reditu vitia tua, antiqui animæ tuæ inquilini molliuntur? generosè te oppone: ibi summa resistentia, ibi excubiæ adhibendæ vigilantiores, ubi vel maxime periclitatur civitas obsessa. Occasio offertur exequendi conceptas virtutes? ne negligas: oculos animæ non frustra tibi aperuit Dominus *Scienti* namque bonum facere & non facienti peccatum est illi, aliàs meditari est otari, & quod pejùs, nugari solummodò, nec verè commota tua voluntas, si in actibus virtutum maneat æquè segnis ac contra vitia æquè debilis & invalida: *Vult & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.* Proverb. 13: 4.

Processum itaque Meditationis revide; obtinet in curiis revisio processuum, obtineat & illa in curia cordis tui, ut, si quem defectum deprehenderis, emendes.

emendes. Deinde ex eadem quædam puncta decerpe: qui benè & lautè pransus est vacuo stomacho à mensa non recedit, sed satis habet plerumque quod toto digerat die, cujus per totum itidem diem palato gustus inhæreat. Denique operi mancipa quæ Deo grata & ad profectum tuum utilia concepisti faciendaque proposuisti: *Vovete & reddite Domino Deo vestro omnes, qui in circuitu ejus affertis munera*, monet Psalter: oditis nuda promissa aut sola verba, amat facta & opera.

P A R S VI.

De Utilitate Meditationis.

EA hominis natura est, ut nihil propemodum agat, nisi quod lucrum vel commodum secum trahat, ideoque Jobo dicti *Sicut mercenarii dies ejus* cumque usum Meditationis, post traditam ejus præxin, nunc suadere intendam, aliunde efficaciora argumenta eruere non potero, quàm ab Utilitate quam ille animæ communicet & in eam invehat.

Generat namque PRIMÒ *Notitiam sui*, quam *lectionem utilissimam* scribit Thomas de Kempis. *Hæc est altissima & utilissima lectio, sui ipsius vera cognitio.* Ejusque Magist. Gerard. Zutphaniensis *initium salutis* intitulat: Hanc autem subministrat *Meditatio* inquit, S. Bernardus discrimen assignat eam inter & orationem, *docet quid desit, oratio ne desit obtinet.* Est namque speculum animæ, in quo illa se ipsam videat, sua vitia & defectus, suas passiones & imperfectiones, quibus virtutibus ornata esse debeat & quàm longè etiamnum ab iis absit, quid pro salute

c. 7. v. 1.
Ec. 14.
v. 6.

1. Imit. 2.

de Re-
form. vi-
rium ani-
ma. c. 4.
serm. 1. de
S. Andrea.

te debeat & quàm parum præstet. *Ego vir videns Thren. 3.1*
paupertatem meam, dicebat aliquis usus hoc speculo.

„ Nihil est quod quisque sic cogitare debeat (urget S. *Serm. 12.*
de Verbis

„ Augustinus) nisi ut in semetipsum oculos con-
 „ vertat, in se discat, se inspiciat, se discutiat, se quæ-
 „ rat, & se inveniat, & quod displicet necet, & quod

„ placet aptet & plantet. Quod & alibi ad propo-
 „ tam sibi à se quæstionem: *ut quid præceptum est* *L. 10. de*
Trinit.

animæ ut seipsam cognoscat? Respondens, incul-
 „ cat: „ Credo ut se cogitet, & secundùm naturam

„ suam vivat, id est, secundùm naturam suam ordi-
 „ nari appetat, sub eo scilicet cui subdenda est, supra

„ ea quibus præponenda est: sub illo à quo regi de-
 „ bet, supra ea quæ regere debet.

Est quidem via duplex ad *Notitiam sui*, una si tua
 tibi vitia dicantur ab aliis, altera si eadem in teip-
 sa scruteris: sed prima absque secundâ parum aut ni-
 hil proderit, quia imaginaberis tibi insinuationem
 aut reprehensionem ex sinistro affectu proficisci, qui
 etiam optima quæque in sequiorem partem detor-
 quet: quâ exceptione suos plerumque defectus pal-
 liant quæ licet admonitæ sæpiùs à suis superioribus
 iis inforDESCUNT & indurescunt. At si jungantur,
 erit una alterius testis, ut vera esse non dubites, quæ
 audis ab aliis: & in te quasi oculis propriis contueris.
 Vultis itaque cognoscere statum animæ vestræ? fa-
 miliaris sit vobis Meditationis usus, eum illa vos op-
 timè docebit prodiatrix minimè fallax nec palpo
 blandiens.

SECUNDÒ parit *vitiorum odium & fugam pec-*
catorum. „ Primùm quidem ipsum fontem suum,
 „ id est, mentem, de qua oritur, purificat confide-
 „ ratio,

L. de
Confid.
c. 7.

c. 8.

Can. 4. 4.

c. 1. v. 10.

c. 2. v. 5.

ratio. (habet D. Bernārdus) deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat & ordinat: postremò divinarum pariter & humanarum rerum scientiam confert: hæc est quæ confusa disternat, hiantia co-
git, sparsa colligit: hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat, aut incorrectum aut correctione egens. Hactenus calum mellifluus. „ Cui tam pio tamque utili otio, (ait idem alibi) nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est? Desideras itaque vitiorum tuorum excidium? & desiderare debes, Meditationi incumbere: Hæc namque est illa *turris David*, quæ edificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex omnis armatura fortium. Propugnacula hostium incursibus opponuntur, tutanturque oppidum vel arcem: à peccatis (hæc namque hostes tui sunt, qui te spoliant Dei gratiâ, merita in te disperdunt, captivam dæmoni subijciunt) ab his, inquam, vis tutam animæ tuæ Arcem? in Meditatione objice propugnacula: ibi etenim contra peccata munitur anima, nam quæ cogitat eorum turpitudinem, Dei prohibitionem, &c. statim eorum horrorem concipit cum proposito nunquam ea admittendi: felix itaque civitas quæ tempore pacis de bello cogitat: at quæ caret hisce propugnaculis, patet ea hostibus: *manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia ejus*, dicitur in Threnis: idque ideo: quia *Dominus dissipavit munitiones ejus, & præcipitavit omnia mœnia ejus*. Clypeis excipiuntur tela vel ictus hostiles, dum cominus pugnatur, ne lædant. Aggreditur te hostis cominùs, dum ad peccata sollicitaris, dum blanditur

caro,

caro, concupiscentia allicit, &c. Vis autem manere illæsa? clypeum objicias necesse est, qui in Meditatione fabricatur: *Mille clypei pendent ex ea* siquidem ibi consideras, qualem, ne prævaleant, te in tentationibus exhibere debeas. Est & ibidem *omnis armatura fortium*, quâ & ipsa hostes, tua nempe vitia, aggrediaris: etenim suggerit tibi Meditatio, quâ ratione ea excindenda, passionibus supprimendæ, & imperfectiones abolendæ sint: teque ad hæc armat & instigat, *omnis in eâ armatura fortium*: fortis sit necesse est, quæ in omnibus seipsam superabit seque subjiciet sibi. At quàm hæ raræ, etiam inter vos! quas vidi sæpius pugnautes pro hostibus, quàm eos oppugnantes, tum scil. cum sequeremini ductum vitiatæ naturæ, passionibus obediretis, rationibus non cederetis, fortes non pro virtutibus sed contra eas, milites non Dei sed sensus vestri. At unde hoc? nonne quia animum tibi non addis, teque contra vitia tua irritas, & in eorum excidium conjuras? in Meditatione fit hæc conjuratio, & quia illa tibi non familiaris, hinc adeo existis imbellis.

Ex Filiis Israel de Ægypto eductis & in terram promissionis armatâ manu ingressuris Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manasse mansit trans Jordannem, ut pascere pecora sua quæ multa habebant, volentes esse de Israël nec tamen ingredi terram promissionis: tales multæ Virgines, quæ quidem numero Virginum volunt accenseri, sed ad virtutum exercitia perfectè se non conferunt & laxam ac tepidam vitam ducentes pascunt gregem pecorum suorum, id est, passionum & vitiorum. Ulteriùs vobis progrediendum Virgines, occupanda vobis animæ

Num. 32.
& Josue
13.

vestræ terra, hostes ex ea ejiciendi sunt & jugulandi.
 Desunt tibi arma? Meditationis Armarium ingre-
 dere, ubi est *omnis armatura fortium*. Deest tibi ani-
 mus? teipsam ibi finito irritari. „ Subdat sibi, quod „
 habet commune cum bestiis, subdat Deo quod „
 habet commune cum Angelis, donec justitiâ & im- „
 mortalitate perfectâ atque perceptâ ab istis exalte- „
 tur, & illis adæquetur. Ex S. Augustino: Audi,
L. 2. cont. monitum Ecclesiastici: *Post concupiscentias tuas*
Faust. c. *non eas, & à voluntate tua avertere: si præstes anima*
28. *tue concupiscentias ejus, facient te in gaudium inimicis*
c. 18. vs. *tuis*. Notum tibi, quàm grave haberi ludibrio, & ne
30. & 31. quis habeatur, quæ non tentet? patuit id in Samfone,
Jud. 16. eum æmulare, quò & vitia, tui adversarii, tui hostes,
 exstinguantur, moriari tibi.

TERTIÒ denique. *Amorem virtutis* instillat:
in lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur
Pf. 1: 2. *die ac nocte*, ait de justo Psalmographus: ideoque
& 3. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus de-*
cursus aquarum, quod dabit fructum suum in tempore
suo. Quis autem hic fructus, nisi actus virtutum &
 opera bona? hos *dabit in tempore suo*, datâ scilicet oc-
 casione, non enim omni tempore quælibet exercen-
 da virtus, sed datâ occasione, patientia nempe in ad-
 versis, mansuetudo in iracundia, &c. hanc verò fec-
 unditatem concipit, ex eo quod Legem Domini
 meditetur, quæ virtutes præscribit & docet. Quod
Pf. 36: & alibi repetit: *Os Justi meditabitur sapientiam: en-*
30. & 31. *fructus hujus Meditationis: Lingua ejus loquetur ju-*
dicium, lex Dei ejus in corde ipsius, & non supplantan-
buntur gressus ejus. Dirigitur namque ad bonum
 intus & extra. In puncto primo Meditationem spe-
 culum-

culum dicebam, & ut illud exhibet quicquid ei ob-
jicitur si homo hominem, si manus manum, ita &
hæc animæ imprimet quicquid ei per illam repræsen-
tatur: Deus is est? vel cœli gaudium aut aliqua vir-
tus? hujus amorem & desiderium generabit, ut tur-
pia objecta turpes motus & illicita desideria pro-
ritant.

Et hæc tria commoda sunt quæ animæ com-
municat meditatio, vera *mentis ditatio*, in quibus
Vocationis vestræ finis consistit, qui est animæ ve-
stræ Status notitia ad extirpandum quod in ea luxu-
riat, & inferendum quo caret, quod fitis sanctæ
animo & corpore. Ad Meditationem frequentan-
dam hæc vos moveant, sum certus assumpturas vos
mores alios, eritis namque contra peccata vigilantio-
res & contra vitia fortiores, ut enim in Proverbiis c. 1. vers.
loquitur Salomon: *Frustra jacitur rete ante oculos* ^{17.}
pennatorum. Imò & illa declinabunt vos, excita-
tâ namque familiâ fures fugiunt, qui eâ dormiente
obrepunt. Eritis etiam in actibus virtutum fre-
quentiores ac ferventiores: de Christo in Mon-
tem, ascendente ut oraret D. Lucas: *Facta est*, c. 9. vers.
dum oraret, species vultus ejus altera, & vestitus ejus ^{29.}
albus & refulgens. Sic & animæ vestræ species altera
fiet, aliæ cogitationes, aliæ desideria, aliæ intentio-
nes, alia verba, alii actus, alii mores, alia denique
vita: mutabit interiora & exteriora: induet novum
splendorem virtutis & sanctitatis. *Meditatus sum* Ps. 76.
nocte cum corde meo, & exercitabar (juxta D. Au- vers. 7.
gustini lectionem, *scrutabar*) & *scopebam spiritum* in Com-
meum. Scoparum notus vobis usus.

ment. ad
hunc lo-
cum.

PARS VII.

De Necessitate Meditationis.

Serm. 1.
de S. An-
drea.

Epist.
142. c. 2.
apud Au-
gust.
Rom. 12.
1.

CONSTAT ex sacris Literis duos à Deo Israëlitis
 è servitute Ægyptiaca liberatis in terram pro-
 missionis datos esse Duces, Moysen scilicet & Aaro-
 nem, Moysen Legislatorem & Aaron Sacerdotem:
 iisdem indiget Anima è seculi conversatione ad perfe-
 ctionem ingressura adumbratis in Moyse & Aaron,
 Meditatione scilicet & Oratione, Meditatione quæ
 doceat quidnam declinandum & quonam prope-
 randum, Oratione quæ vires ad ambulandum ac-
 quirat. *Illa viam ostendit, ex S. Bernardo, ista dedu-
 cit, meditatione agnoscimus imminetia nobis pericu-
 la, oratione evadimus.* Utilitatem Meditationis pro-
 posui in Parte præcedenti, in hac autem agam de
 ejusdem Necessitate, &, ut illam ibi Virgini utilem
 dixi, eam hîc eidem ostendam summè necessariam:
 est namque famula Dei, nostratium idiomate dicta
een Maeght / non ob solam carnis integritatem,
 sed vel maximè quòd ex vi Status obstricta & manci-
 pata sit famulatui divino: nonne necessarium, ut quæ
 famulantur aliis, sæpiùs agant cum iis quibus ancil-
 lantur, ut discant quid velint quidve nolint? aliorum
 imperium & sensum sequantur necesse est, quæ iis se-
 fe elocarunt: idem in Virgine locum habet: monet
 proinde Autor Epistolæ ad Demetriadem: „Prima
 Virginis cura primumque studium sit scire volun-
 tatem Domini sui, &, quid ei placeat, quidve dis-
 pliceat, diligenter inquirere, ut secundum Apo-
 stolam *rationabile* Deo reddat obsequium, totumque

„que vitæ suæ cursum ex ejus possit ordinare senten-
 „tia. Impossibile est enim ei quenquam placere, cui
 „quod placeat ignorat, fierique potest ut etiam ob-
 „sequendi voto offendat, qui quomodo obsequi de-
 „beat ante non didicit: & ut majus est voluntatem
 „Domini facere quàm nosse, ita prius est nosse
 „quàm facere, illud enim merito præcedit, hoc ordi-
 „ne: unde Propheta dicit: Et tu Israël noli ignora-
 „re. Et Beatus Paulus: *Qui autem ignorat ignorabi-* 1 Cor. 14:
 „*tur.* Itemque alibi: *Propterea nolite fieri impruden-* 38.
 „*tes, sed intelligentes quæ sit voluntas Domini.* Initium Ephes. 5:
 „obedientiæ est quid præcipiatur velle cognoscere,
 „& pars est obsequii didicisse quid facias. Ubi au-
 „tem cognoscet sensum Domini sui nisi in Meditatio-
 „ne? ibi namque familiariter agit & conversatur cum
 „eo: præscriptum id mihi videtur in Apologia Chri-
 „sti pro Mariâ contra Martham: *Ille sedens secus pedes* Luc. 10:
Domini audiebat verbum illius, hæc autem satagebat
circa frequens ministerium, quæ stetit & ait: Domi-
ne non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam
ministrare? Dic ergo illi ut me adjuvet. Cui Dominus:
Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga pluri-
ma, porro unum est necessarium, Maria optimam
partem elegit, quæ non auferetur ab ea in æternum.
 Nonne hîc Dominus contra Marthæ querelas Mariæ
 otium defendendo, quæ verbum ejus audiebat, il-
 liusque sollicitudinem quodammodo reprehenden-
 do, approbavit, ut pedibus ejus affideat verbum ejus
 auditura quæ bona famula erit? omninò sanè: non-
 ne & taxat eas, quæ in exteriora opera effusæ ad in-
 teriora non convertuntur, non ad sensum Domini,
 sed juxta suum proprium eidem famulantes? Porro

unum est necessarium, ut, quæ Domini voluntatem faciet, eam in Meditatione audiat. Ibi audiet quid in animæ domo expurgandum, tot nempe vanæ cogitationes quæ ibi morantur, iracundia quæ proximum lædat, vindicta quæ lædenti talionem minetur, invidia, superbia, murmuratio, detractio, & similes sordes quàm plurimæ: ibi reprehensiones audiet quòd tam segnis sit & tarda, quodque res Domini sui negligat, sæpiùs excurrat, tempus otio & otiosis confabulationibus consumat: ibi instructionem accipiet de rebus in Animæ domicilio parandis & comparandis, modestiâ scil. prudentiâ, mansuetudine, sobrietate, humilitate, obedientiâ, Dei proximique dilectione, patientiâ aliisque pluribus. Nam ut ait Psalter: *Domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum*: etenim eum in finem is ejus operam conduxit, ut in animæ domo sit ad ejus servitium. Eam expurget, custodiat, exornet ejusque ministerio tota vacet: *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*. Certa sis eum accuratum esse Oeconomum, bonamque hujus domus agere curam, attentum ad singula quæque: at quòd omnia debitum non fortiantur effectum, defectus est ex parte ancillarum ejus jussa non exequentium, quas tolerat inter suas spe melioris servitii vel etiam subinde tanquam incorrigibiles dimittit.

Servietis autem Deo ad nutum & sensum ejus: aures vestras ei in Meditatione præbeatis necessarium est: petite ut vos edoceat quid velit, & quomodo velit ministerium vestrum, quod quæ negligunt eas *Seraphica Theresia* comparat uxori *Lot*, quæ ad Domini

in Castello
Anima.

ni mandatum non attendens, neque ante se prospiciens sed respiciens, conversa est in Statuam Salis: *Respiciensque uxor ejus post se versa est in Statuam Salis*. Gen. 19: 26. Ut autem illa Statua similitudinem ejus retinuit, ita & nomen tantum & speciem retinent illæ Virgines, quæ non attendunt ad Dominum neque ad se, sed ad exteriora respiciunt, indurescunt in vitiis suis & frigescent in dilectione Dei: & ut hujus scemina metamorphosis pœna fuit inobedientiæ suæ, ita & illa Virginum, in quas depluit Dominus illud Psalmographi: *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurva*: quibus proinde congruit illud quod submersis Ægyptiis cecinit Moses: *Extendisti manum tuam, & devoravit eos terra*.

Neque solum est Ancilla, sed &, ut c. I. ostendimus sæpius, est Sponsa Christi: *Despondi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo*, ait Apostolus, 2. Cor. 11: 2. consummabuntur autem nuptiæ in futuro seculo, quando erit Deus omnia in omnibus. Nonne conveniens imò & necessarium interim Sponsam familiariter cum eo agere, audire quid ad ulteriorem ornatum requirat? quare ad id exhortatur Vates: *Audi filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus. Audi filia & vide. Audi quid velit à te, & vide quomodo id exequaris. Inclina aurem tuam parum est; audi, humiliter audi*, inquit S. Augustinus. *Obliviscere populum tuum*, id est, vitia & passiones tuas quibus assuevisti, & innutrita es, eis subtrahe affectum tuum & consuetudinem; *& domum patris tui*, mundum scilicet & mundana omnia: admittis

hoc consilium? & admittes facilè, dummodo præbeas aures attentas, *Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus.* „ Jam vide, si „ non debes dimittere patrem tuum illum, & populum tuum illum, (commentatur hîc S. Augustinus), „ & venire ad Regem istum Deum tuum. Deus tuus „ est, Rex tuus est, Rex tuus & ipse est Sponsus „ tuus. Regi nubis Deo ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo sanata: quicquid „ habes, unde illi placeas, ab illo habes. *Audi igitur & vide*, sed ubi commodiùs audies, & videbis quàm in Meditatione? ibi namque te ei præsentem sistis, ut agas cum illo de iis quæ te & illum concernunt: quando oras sola loqueris, in Meditatione autem & illi vices suas concedis, audis eum ibi loquentem in te, & tu alloqueris illum: ipsemet hoc c. 2. vers. à te requirit in Canticis: *Ostende mihi faciem tuam, 14. sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Gratum namque id ei alloquium, gratissima hæc ei conversatio & familiaritas. Si autem Sponsa Sponsi sui præsentiam non delectetur, nec alloquiis ejus afficiatur, illius erga eum aut nullus aut valde exiguus est amor: talem & tuum existima erga Deum tuum si per Meditationem ejus præsentiam non suspires, ad alloquia non anheles. Quid diceretur? idem statuendum de te, si non interior devotio sed cordis evagatio te afficiat, si non Creator sed creaturæ tibi præbeant delicias: dicet ille idem hoc de te, Jud. 16: quod olim Dalila Sampsoni: *Quomodo dicis quod 15. amas me, cum animus tuus non sit mecum? Currite ad De Bono illum per illum, instat Augustinus, placete illi ex illo, Viduit: c. 19.*

*vivite cum illo in illo de illo: affectibus veris & sanctis-
,,simâ castitate à viro tali amate amari. ,, Non pariter
,, & Christum velimus habere & seculum, dissuadet Epist. 24.
Hieronymus.*

Quæcunque itaque (ut finem huic materiæ imponam) Meditationi non vacarit hætenus, ei impoterum vacet: vis esse bona Dei Ancilla? ausculta quid ille à te, in te & per te velit. Semper sis sollicita Martha in ministerio Domini tui, sed & quotidie sis attenta Maria. Vis esse ei Sponsa grata? conveniens est, ut ejus quotidie colloquium & sanctum commercium ambias, atque ab eo petas, quod tibi etiamnum deesse videris & audieris. Virgines ingredientiæ ad Assuerum obtinebant ad ornatum quicquid petebant: obtinebis & tu quicquid petieris, cum amplius iste affectet ornatum animæ, quàm hic corporum, qui te vult sanctam corpore & spiritu: delitiare in Domino: quod autem hætenus hæc spiritus delicias non gustaveris, tuâ culpâ contigit: quia scilicet in exteriora nimis effusa es; sapiet ille ubi hæc nauseaveris. *Os meum aperui & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Et: Anima saturata calcabit favum, & anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* Notat S. Scriptura. *Ps. 118: 131. Proverb. 27: 7.* Tuit id in sitibundis Israëlitis, quos constat Dominum aquâ refecisse, de quibus tamen Psalmus dicit, *quod de Petra melle saturavit eos.* Denique quod ille tibi suggererit ad profectum tuum, operi quanto-
ciùs mancipa, pudeat redire ad eum, si, ubi occasio oblata fuerit, jussa non perfeceris. Scis à Salvatore dictum: *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est:* quod ut fiat, & hic scopus esse de-
bet

Hesl. 2:
13.

Ps. 118:
131.

Proverb.
27: 7.

80: 17:

Matth. 5:
48.

*L. de Vir-
ginit.*

bet omnis Meditationis tuæ, Pictor tibi imitandus
qui, ut effigiem alicujus in tabula exhibeat, conti-
nuò prototypon intuetur, illudque coloribus & pe-
nicillo sequitur: idem faciendum & tibi quæ divina
perfectionis imaginem in animæ tuæ Tabula depin-
ges, in Meditationibus ea inspicienda, penicillo af-
fectuum & desideriorum ea tibi imprimenda. Amor
namque aut similes invenit, quod hîc deest; aut si-
miles facit, quod in te requiritur quæ Dei Sponsa es.
Quocirca quæ Christo per Virginitatis professio-
nem copulata est, tanquam Sapientiæ ac Verbi
Dei Sponsa sapiens ac prudens sit necesse est (quo-
modo ratiocinatur S. Basilius) ut animi stultitiæ
& insipientiæ notâ jugi divinarum rerum medita-
tione longiùs explosâ, sapientiæ, cui conjuncta est, or-
netur pulchritudine. Cùm enim cæteris, qui
beati esse student, tum Sponsæ Christi imprimis
convenit operationes animæ, quæ per sensus fiunt,
ab exterioribus ad interiora convertere, ac Sponsæ
in intimis thalamis ut Deo, Dei Verbo, perpetuâ
dilectione sociari, cum eo colloqui, & in ejus die
noctuque Lege meditari, & his quidem, quæ ad
Sponsum ducunt Lege scilicet & Evangelio, & si-
quæ his consona Sponsi decorem exponunt, oble-
ctari, sanctisque intelligentiarum foetibus sapien-
tem ac rationabilem magis ac magis semper evade-
re, donec æternam Sapientiam sibi penitus jun-
gat, unumque cum eo, cui inhæsit, effecta ex
corruptibili fiat incorruptibilis, ex imperita pru-
dens ac sapientissima tanquam Verbi, cui inhæsit,
Costa, atque (ut breviter dicam) ex homine morta-
li immortalis Deus sicut ille, cui conjuncta est

omne

omnibus manifestetur.,, Et hæc de Meditatione, de qua, quæ plura volet, consulat fusissimos aliorum Tractatus, sufficit nobis hæc pauca annotasse.

§. V I.

De Missa.

EXpeditis iis, quæ de Meditatione tradenda erant, sequitur ut tractemus de Missa, cum hæc illam de more apud nos recepto subsequatur, & ad eam quotidie audiendam Regula Virgines constringat: cumque hîc plura dicenda sese offerant, & hunc §. in aliquot partes diffecabimus.

P A R S I.

De Sacro quotidie audiendo.

PRO cuius congruentiâ non coacervo multa argumenta, hoc unico contentus, quòd ibi se præsentem sistat, & salutetur Virginum Sponsus: *Indica mi- Cant. 1:9*
hi, votum erat unius, ubi pascas, ubi cubes in meridie.
 Cui si respondendum modò, non remittam aliò, nisi ad Ecclesiam & ad Aram: ibi namque fervet, meridies divini amoris, ibi pascit fideles sibi non alimento alio quàm seipso, ibi cubat quasi præstolabundus ad tuum adventum, quasi anhelus ad tuam visitationem & præsentiam: amas itaque illum? delectaris ejus præsentia? ut certè delectari debes, si verè amas, amor namq; amantium unio est, is non nisi cum summa impatientiâ tolerat Amati absentiam: patet id in illo qui de se testabatur; *Quemadmodum desiderat Ps. 41:*
Cer- 2. 3.

Cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitivit anima mea ad Deum fontem vivum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Talis inquam & tuus est amor? tale & tuum ejus præsentiæ desiderium? voto tuo Missa satisfaciet, in ea namque ad verba Consecrationis præsentem se sistit, sui copiam exhibet, quò à te invisatur, tuâ adoratione saluetur: eximius hic honor, grande est, quod tibi præstat, beneficium: Unde hoc mihi, dicebat olim Elizabeth, ut veniat Mater Domini mei ad me? Amplius, quòd veniat Dominus ipse ad te: cui, impensus honor non idololatricus est, ut blasphemant hæretici, sed legitimus & debitus.

Luc 1:
43.

3 Reg.
10:24.
Gen. 49:
22.

Si ergo vultum Salomonis videre desideraverit Terra universa, si ad videndum Joseph filiae muros conscenderint, ut effatur Jacob jamjam moriturus: *Filius accrescens Joseph, filius accrescens & decoris aspectu, filiae discurrerunt super murum.* Quanto magis accurrendum ad contemplandum divinum hunc Joseph, non oculis corporis, sed animæ fidei lumine illustratis sub panis ac vini speciebus prodeuntem in Altari: Illum inquam Joseph non unius Ægypti sed totius mundi Servatorem: illum inquam decorum

1 Petri 1:
12.

aspectu, *In quem desiderant Angeli prospicere*, imò in quo & ipse Pater cœlestis sibi benè complacuit: quæque ideo prodit ut ad se accurratur: „Si enim hoc sanctissimum sacramentum in uno tantum celebra-

4 Imit. 1.
13.

retur loco (scribit noster Kempenas) & ab uno tantum consecraretur Sacerdote in mundo, quanto putas desiderio ad illum locum, & ad talem Dei Sacerdotem homines afficerentur, ut divina mysteria celebrari viderent? nunc autem multi facti sunt Sa-

„cerdotes, & in multis locis offertur Christus, ut
 „tantò major appareat gratia & dilectio Dei ad ho-
 „minem, quantò latius est sacra communio diffusa
 „per orbem. Illum inquam, cujus non solus tibi
 conceditur conspectus, ut istius, filiabus Ægyptiacis,
 sed qui seipsum tibi donavit utpote Sponsus tuus.

Hinc ex Animæ, in quibus viguit desiderium
 præsentia Christi, quibus volupe ei adesse, nullum
 intermiscere diem, quo non in Officio Missæ ejus
 præsentia fruerentur: non allego nisi unam aut alte-
 ram, scil. D. Monicam S. Augustini matrem, ab eo ^{9. Confess.}
 idcirco laudatam: *Quæ moritura* (inquit Deum allo- ^{11.}
 quens) *memoriam sui ad Altare tuum fieri desideravit,*
cui nullius diei prætermissione servierat, unde sciret dis-
pensari victimam sanctam, quâ deletum est chyrogra-
phum, quod erat contrarium nobis. Et D. Thomam
 Aquinatem, qui, præterquam quòd ipsemet Sacris
 operaretur quotidie, alteri sacrificanti deserviebat,
 ut amicâ Domini sui præsentia frueretur eò duitiùs
 & frequentius.

Audiant hæc illæ, quæ sine ulla prægnante ratio-
 ne, imò ex merâ negligentia, vel ob futes occupa-
 tiones quæ moram paterentur, sæpius sacrum negli-
 gunt: ostentant tales quo animo sint in Christum
 Dominum, dum eum licet ad suam præsentiam eas
 citet & invitet, tam facile negligunt: Amorem sanè
 non nutrit aut promovet præfixo tempore, & designa-
 nato loco non comparere, præsertim si ex parte mi-
 noris erga majorem hic se teneat defectus, qualis hic
 culpatur: scriptum namque est: *væ qui spernis, non-* ^{Isai. 33:1}
ne & ipse sperneris? certè *non bonum videtur habuisse* ^{S. Bern. de}
fontem rivus charitatis aliquando decrescens. Non ^{pass.}
 sunt ^{Dom. c. 10}

sunt ex Aquilæ, quia hæ, ubicunque fuerit corpus, congregantur, ut, si escam ipsam sumere non licet, saltem ejus visu & odore reficiantur. Angeli suo vos exemplo huc trahunt: utinam aperirentur omnium oculi, cum famulo Elizæi integros ibi viderent exercitus, & juxta visionem Danielis, quando *millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei*: „ Quis enim fidelium habere dubiū possit, (scribit S. Gregorius) in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Jesu Christi mysterio Angelorum choros adesse. „ Et D. Chrysostomus: „ Per id tempus & Angeli Sacerdoti assident, & locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Ecce accurrunt Angeli e cœlo, eos æmulentur, necesse est iisque sese associent, quæ vice & nomine Angelorum censentur in terris.

Itaque filiæ meæ Domino seu potius sponso vestro hîc nobis quotidie præsentî & vos quotidie præsentibus sistite: lex hæc amantium est, ut mutuam præsentiam quærant. Adesse alicui non licet corpore, vel quia famulatu impeditur vel gravi aliâ necessitate? affectu & corde præsentem sistat, quod nemo detinere poterit. Pudeat cæterum quin, cùm corrivales tuæ ad Domini præsentiam convolant, eam nihili facere ei; te subducere: æquum namque tu, & fortè magis ac illæ, ejus gratiâ indiges & favore: *Videt ille intus in mente quid facias, & quàm expetenter ejus Virgines imiteris attendit*, ad quætelam suggerit D. Maximus. De audiendo Sacro Ecclesiæ præceptum sub graviore culpa quidem non obligat nisi pro diebus dominicis & festis, sed quæ

Serm. de
S. Agnete.

maiores vitæ perfectionē præferunt & amplius Domini servitium profitentur, hunc ei accessum nequaquam denegare deberent: *Quā perversitate minùs diligis à quo ampliùs accepisti?* instat Antistes Hypo-
ponensis, ideoque Charitas, ô sponsa Christi, quæ te separavit à seculo (vox est Bernardina) *ipsa te con-*
jungat Deo.

L. de Vir-
gin. c. 40.

De modo
benè vi-
vendi

Serm. 41.

P A R S II.

Quomodo audienda Missa.

ID quatuor conditionibus expedio, quarum
PRIMA requirit, ut in tempore te præsentem
sistas, non accedendo quando jam inchoata est, sed
principium ejus præveniando: ratio evidens est:
nonne magis conveniens est Ancillam Dominum,
quam Dominum præstolari Ancillam? Quis dubi-
tet? Ancilla Christi es, non ergò is te præstoletur in
Ecclesia & Altari, sed maturiori accessu tu eum ven-
turum præstolare, qui se jam ad adventum præparat
quando instat hora sacri, quā tibi dici imaginaberis: *Matt. 25:*
Ecce sponsus venit exite obviam ei. Docet id te Elias qui
6.
Domini visione & alloquio fruiturus se priùs in spe-
luncā collocavit, & aliquo tempore expectavit ut
Dominum transeuntem videret: *Operuit vultum suum*
pallio, inquit scriptura, *& egressus stetit in ostio spe-*
luncæ, ubi audivit vocem Domini: docet inquam
3 Reg. 19:
13.
is te, ut Dei desiderio mota ilicò ad Ecclesiam ad-
venias, præstò sis & Dominum ad eundem locum
accessurum quasi prævenias.

Imitare itaque Annam Tobix conjugem, quæ fi-
lium reducem suspirans: *Quotidie circuibat vias* *Tob. 10:7*

K

omnes,

omnes, per quas spes remeandi videbatur, ut procul videret eum, si fieri posset, venientem. Neque tu expectas hominem cum nummis ut illa, sed Dei filium, animæ tuæ Sponsum cum gratiarum thesauris. Æmulare Abrahamum qui in ostio tabernaculi sui confidens hospites præstolabatur, iisque visis *cucurrit in occursum eorum*, gratiorem hospitem tu præstolaris, non Angelos ut ille sed Angelorum Dominum, constet ei suum tibi gratum esse adventum, non te præveniat, sed tu eum anhela expectes. Tres Magos imitare Jerosolymam advolantes & dicentes: *Ubi est qui natus est Rex Judæorum? vidimus enim stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum*. Quasi renascitur is in Altari (ibi suavissimi *Frumenti* deliciae momento maturescunt) ut meritorum suorum te participem reddat, rumpe moras, propera ad ejus adorationem: *Vidimus stellam ejus, & venimus*, veni & tu, ut præpares thus orationis quod ei incendas, aurum ignitorum affectuum quod ei deferas, & myrrham mortificationis, quâ putredinem vitiorum à te repellendo ei te perpetuam famulam serves: hæc inquam præpara antequam adores, & ut præparata sint, in tempore accelera. Æmulare denique duos illos discipulos Petrum scil. & Joannem currentes ad sepulchrum, de quibus sacra Pagina: *currebant autem duo simul, & ille alius Discipulus præcucurrit citius Petro*. In Petro, fidem, ex Matth. 16. c. & in Joanne notum est dilectionem adumbrari, fidei sacramentum est Eucharistia:

*Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem.*

ad eam trahat te fides tua, sed dilectio tua præcur-
 rat, ut ante ei adsis, quàm necessarius fit actus fidei:
 Altare monumentum Christi est, dilectio tua hîc
 quærat dilectum suum: Quæ huc non properant,
 ostendunt eæ quo animo ferantur in Christum: certè
 non sunt voluntariæ famulæ quæ ad vocem vocantis
 non comparent, sed tardæ & segnes, quas, ut odit Pa-
 ter familias terrenus, ita & cœlestis. Est quidem mo-
 ris in sponsis secularibus, ut sponsus sponsam præsto-
 letur, at in mysticis contrarium obtinet, praxis hîc
 planè alia: *Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror* *Cam. 5:2.*
mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quis
 hîc non aliqualem patientiam speraret? *surrexi, ut* *vers. 5.*
aperirem dilecto meo pessalum ostii mei aperui dilecto *vers. 6.*
meo: at ille declinaverat atque transierat. Et quare,
 nisi quia moras odit?

SECUNDA exigit, ut ei sine tædio interfis, id
 est, ne conqueraris de nimia Sacerdotis morâ ad Al-
 tare, vel ne ad finem Sacri anheles: plurimum est hoc
 vitium, quibus eò gratius est Sacrum quò magis præ-
 cipitatum, quique ea Tempia præferunt ubi divina
 maximè præcipitanter peraguntur, quos acriter re-
 darguit S. Augustinus: nec minus reprehendendi fe-
 stini Sacerdotes, cùm alloquantur Deum quomodo
 non alloquerentur homines, quid namque hi dice-
 rent si eâ illos præcipitantiâ affarentur, & non nisi per
 Syncopen suos conceptus exprimerent? & licèt in-
 telligat Deus etiam linguam volubilem, repugnat ta-
 men ea reverentiæ ei deferendæ, neque ad illa debita
 attentio haberi potest quæ tantâ præcipitantiâ per-
 aguntur & proferuntur, quare etiam vulgò talium
 Sacra *Tagers of Aupters Wiffen* intitulantur:

K 2

contra

- contra quos videatur Antonii de Molina *Instructio*
Sacerdotum. Tu autem Virgo devota, quæ spon-
 Tract. 3: c. 13, 14. & 15. tui præsentiam amas eaque delectaris, ama Sacrum
 protractius, & desidera quò diutius eâ fruaris: ægrè
 fert pius Jesus advertens sui tibi tædium obrepere,
 teque ad ejus anhelare discessum: suspectus est ei
 tuus erga eum amor, cùm is, si verus sit, vellet ama-
 tum semper apud se retinere, nec eum nisi ægrè di-
 mittat: patet id in procis ubi convenerint nesciunt
 divortia, quâ de causâ ancillas nupturientes non
 amant matres familias non enim jam nisi perfunctio-
 ria in illis ministerii cura, toto in Amasium abripiun-
 tur affectu: *Inveni quem diligit anima mea*, dicebat
 Cant. 3: 4. una, *tenui eum, nec dimittam*. Quibus Christus tenetur?
 I. 3. de Virg. commentatur in hæc verba D. Ambrosius, *in*
injurie nexibus, non restium nodis, sed vinculis chari-
tatis, mentis habenis stringitur & animæ tenetur af-
fectu. De Jonatha scribitur: *anima Jonathæ con-*
 I Reg. 18: 1. *glutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathas*
quasi animam suam, amor enim quasi gluten est
 quod amantes conjungit, unde nisi difficulter disjun-
 guntur & à se mutuò divelluntur, qualis si & tuus
 fit, ut esse debet, si verus erit, nonquam tibi tædium
 obrepat. Puerulum Jesum delatum in Templum
 Luc. 2: 28 Solymæum amplexantem intuere Simeonem: quò-
 ægrè dimittit! tædebat vivere sine ejus præsentia
 vs. 29. *Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum*
tuum in pace. Idem ille Jesus sub speciebus eius
 charisticis tibi in Ecclesia & Arâ se præsentem sistit
 vs. 26. anhelasti ad ejus præsentiam? ut ille Simeon, qui
 sponsum acceperat à Spiritu sancto non visurum se mor-
 tem nisi videret Christum Domini, amplexare

lum ulnis amoris, brachiis cordis & affectuum, non te tædeat ei diutiùs adhærescere, sed grave sit & molestum tam citò privari illo, ut & revera illi est, ubi in festinos sacerdotes inciderit, qui eum tantâ celeritate protrudunt.

TERTIA postulat Modestiam, quam multis inculcat S. Ambrosius, *Maxima est*, inquit, *vir-* L. 3. de
tus tacendi, præsertim in Ecclesia: quæ taciturnitas *Virg.*
in eo consistit; non solum quòd colloquia non misceas, (*In Oratorio nemo aliquid agat*, inquit S. Au- *Epist.*
gustinus, *nisi ad quod est factum, unde & nomen ac-* 109.
cepit:) sed & ut tussim & excreatus comprimamus. Optarem ego aliquibus familiariorem hanc modestiam, iis inquam, quæ quando ad Consecrationem cymbalo signum datur attentionis, suâ tussi & excreatu omnem propè attentionem disturbant etiam alios proritantes. „ Illud exemplum proditur (sunt „ verba S. Ambrosii) Alexandro sacrificante Ma- *Lib. 3. de*
„ cedonum Rege puerulum barbarum, qui ei lumen *Virg.*
„ accenderet, excepisse ignem brachio, atque adusto „ corpore mansisse immobilem, nec dolorem pro- „ didisse gemitu, nec tacito poenam indicasse fletu: „ tanta in puero barbaro fuit disciplina reverentiæ, ut „ naturam vinceret: atque ille non Deos, qui nulli „ erant, sed Regem timebat, quid enim timeret eos, „ qui, si idem ignis eos contigisset, arsissent? & tu „ in ministerio Dei Virgo gemitus, excreatus, tusses, risus abstine. Attendite ad hæc, quæ indispositioni vestræ immodestiam vestram imputatis, *debilitatem excludat religio, instituat consuetudo naturam*, in- *Ibid.*
quit idem, qui & addit: „ Frequens sermo est, cùm „ plurima ranarum murmura religiosæ auribus ple-

bis obstreperent, Sacerdotem Dei præcepisse, ut, conticerent & reverentiam sacræ deferrent orationi, tum subito circumfusus strepitus quievit: Silent igitur paludes, homines non filebunt? & irrationale animal per reverentiam recognoscit, quod per naturam ignorat, hominum tantam esse immodestiam, ut plerique deferre nesciant mentium, religioni, quod deferunt aurium voluptati? hæc, S. Doctor. Certè si constaret quantoperè Sacerdotem turbent isti motus, non dubito quin plurimum major violentia & amplior esset continentia, ne dicam eos etiam honestati repugnare; quæ namque præstolabunda alicujus, ubi eum viderit advenientem, præsertim si majoris se conditionis sit, tussire vel excreare incipiet, & non potius cum omni modestiâ eum excipiet, eique aderit? idem Virgini, idem præscriptum sit omnibus.

Judith.
10: 20.

QUARTA denique præcipit Reverentiam. De Judith dicitur quod adducta in præsentiam Holofernis, *cum in faciem ejus intendisset, adoravit eum prosternens se super terram*: non Holofernes est in cujus conspectu compares, non inquam is expugnator & hostis tuus est, sed defensor & salvator tuus, Deus & Dominus tuus: debito igitur honore eum affice, flecte coram eo genua corporis & cordis, id namque vult Pater cœlestis, *ut in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Omne genu flectendum, neque enim sufficit flectere genua corporis, id est, corpore adesse præsentem, sed & flectenda genua cordis, id est, interiore devotione ei assistendum, impediendaque omnis evagationis mentis, genibus namque flexis non datur facultas

Philipp.
2: 10.

tas divagandi. Tres Magos æmulare, qui, cùm gratiâ videndi Jesum beati essent, *procidentes adoraverunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* ^{Matth. 2: 11.} Aperi & tu thesauros cordis tui, offer ei aurum dilectionis, id est, actus aliquos virtutum quos in amorem ejus hodie exercebis, thus fervidæ orationis, ac myrrham mortificationis, quam etiam hoc die operi mancipabis. Ut namque ille non venit ad te manibus vacuis, ita neque tu sine munusculis ad eum venire debes: *Filia Babylonis misera, sed Filia Tyri in muneribus:* ^{Psf. 136: 8} iterato hoc præscriptum in veteri lege: *Non apparebit ante Dominum vacuus, sed offeret unusquisque secundum quod habuerit, juxta benedictionem Domini Dei sui, quam dederit ei.* ^{Psf. 44: 13. Deut. 16: 16. & 17.} Hic Martham noli æmulari, sed imitare Mariam sedens secus pedes ejus, præscribitur id dum Sacerdos sub Præfatione dicit: *Sursum corda.* Et Minister nomine omnium respondet: *Habemus ad Dominum:* ut admonitio sit, juxta Cyprianum, *Nil aliud se quàm Dominum cogitare debere.* ^{de Orat. Dominica.} Vide itaque quomodo te habeas: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* ^{Cant. 2: 9.}

P A R S. III.

De Exercitiis sub Missa.

TRia, quæ in Sacerdotio non tam legali quàm Evangelico spectari possunt, brevi hac sententiâ complectitur Apostolus: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona* ^{Heb. 5: 1.}

& *sacrificia pro peccatis*. Et quidem primò ejus Excellentiam explanat, quòd scilicet Sacerdotem in medio quodam statu Deum inter & homines constituens quasi *Semideum* quendam efficiat: *assumptus ex hominibus*, ac si non jam amplius eorum numero accensendus: quod & Christus insinuat, cùm expressionem fidei suæ Incarnationis ab Apostolis eliciturus, primò quid homines, postea quid ipsi de eo *Matt. 16: 13-15.* crederent, interrogavit. *Secundò Qualitates*, quas illud ab eo exigit, quarum Una Vocatio divina: *Assumptus*, non contra divini consilii dispositionem in Sanctuarium Domini ultro intrusus: etenim Ecclesiæ ministerium nec *elatione avida* suscipiendum, nec *blandiente desidia* respuendum docet Augustinus. *Epist. 81.* Altera est ut scientia præpolleat, quisquis erit spiritualis Tabernaculi *Beseleel*: non enim vult Dominus ut *sicut populus ita sit & Sacerdos*, sed repellit à *ibid. vs. 6.* Sacerdotio, à quo exulat scientia: *Assumptus* debet esse *ex hominibus*, iisque doctrinâ superior, quem hoc sacro ministerio honorat Dominus. Ultima est, ut qui dignitate eminet Vocationis reliquis præluceat exempto piæ conversationis: *Assumptus ex hominibus: monstruosa* siquidem *res gradus summus*, inquit D. Bernardus, & *animus infimus: sedes prima & vita ima*. Sponsi caput aurum optimum; quid autem Sponsi caput nisi Sacrorum Antistes, quorum auro puriorem & nitidiorem vitam esse oportet, quos aureis virtutibus decet fulgescere, ut sacram in populorum mentibus excitent avaritiam, faciantque Ecclesiam tantâ opulentiâ sanctè ambitiosam. Tertiò denique ejusdem Officium, quod est Deum inter & homines sequestrum agere, & offerre dona & Sa-

L. 2. Confid. c. 7. Cant. 5: 11.

& Sacrificia, non ampliùs vitulos, oves aut boves ut olim sub Fœdere antiquo, sed immaculatum Agnum Christum Jesum, qui & victima & principalis Sacerdos: „ Nam etsi nunc Christus non videtur offerre, *in Psal. 38*
 „ (notat D. Ambrosius) tamen ipse offertur in terris,
 „ quando Christi corpus offertur; imò ipse offerre
 „ manifestatur in nobis, cujus sermo sanctificat Sa-
 „ crificium quod offertur. O quàm puris & niveis
 Sacerdotem oportet esse pectoribus, è cujus flatu &
 verbo mirabili Christus quotidie nascitur, cujus ma-
 nibus tam frequenter & assiduè tractatur, ac Patri cœ-
 lesti immolatur & exhibetur, cujus adminiculo divina
 hæc Victima transit in animos Fidelium! „ Væ igitur
 „ Ministris infidelibus, (denuntiat Mellifluus Bur- *Serm: de*
 „ gundio) qui necdum reconciliati reconciliationis *Convers.*
 „ alienæ negotia, quasi homines qui justitiam fece- *ad Clericos*
 „ rint, apprehendunt. Væ filiis iræ, qui se ministros *c. 27.*
 „ gratiæ profitentur. Væ filiis iræ, qui Pacificorū sibi
 „ usurpare gradus & nomina non verētur. Væ filiis iræ
 „ qui fideles sese Mediatores pacis, ut peccata populi
 „ comedant, mentiuntur. Væ qui ambulantes in carne
 „ Deo placere nō possunt, & placare velle præsumūt.

Sed quid ago? quò delabor? Sacerdotem instruo
 qui Virginem docere debeo: ut igitur in viam è di-
 verticulo redeam, nolo è SS. Literis & PP. Apolo-
 giam exspectes contra Heterodoxorum calumnias,
 quibus Antichristi Præcursores *juge hoc Sacrificium Dan. 8.*
 impugnant, & *Altare, de quo (ex Apostolo) edere 12. 5*
non habent potestatem, qui Tabernaculo deserviunt, de- alibi.
 moliri allaborant, Mensamque Christi evertere, *Hebr. 13:*
 quam idem ille Ecclesiarum Magister Dæmoniorum
 Aris opposuit & Idolothytis: utpote certus scire te *1 Cor. 10:*
 erro- *20. 521*

errorem contra veritatem non nisi calumniis aut mendaciis armatum. Neque est mihi animus, non enim Catechistam ago, apparatus explicare, & ritus quibus ex Spiritus Sancti magisterio divina hæc Hostia litatur, cum & obvii passim Libelli eorum ingerant notitiam, nec aliud sint quam Dominicæ Passionis ac Vitæ commemorationes. Neque orationum formulas præscribo, cum & his precarii Codices redundant, & earum ego consuetudinem probem, quæ non in multiloquio oris, sed cum Dominicæ Passionis attentissima contemplatione Sacrificio interfunt, nutrientes ligno sanctæ Crucis ignem divini amoris, aut pretiosissimo sanguine Agni immolati abluentes animæ fordes, vel clavis piorum affectuum crucifigentes carnem cum vitiis & concupiscentiis.

Malach.
1: 11.

supra

Verum cum non solus Sacerdos *oblationem* hanc *mundam* sacrificet & offerat, sed & omnes quotquot assistunt Sacrificanti, quorum is solummodo vices agit: Sibi namque est (juxta D. Augustinum) quod quis sit Christianus, quod autem Sacerdos, aliis est: *Ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum*, (inquit Apostolus) tanquam Commissarius seu Deputatus, cujus ore, Deum alloquuntur, cujus manibus eidem sua deferunt dona, quos proinde monet: *Orate Fratres, ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem Omnipotentem*: & pro iisdem orans post Memoriam sibi specialiter commissorum: „Memento etiam Domine, (inquit) omnium Circumstantium, quorum tibi fides cognita est & nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium

„ficium laudis pro se suisque omnibus, pro redemp-
 „tione animarum suarum, pro spe salutis & incolu-
 „mitatis suæ, tibi que reddunt vota sua æterno Deo
 „vivo ac vero.

Quare quoties ades Sacro piam intentionem for-
 mabis, quæ explicet quem in finem salutarem hanc
 Hostiam ex parte tua offerri velis: dumque ea jam
 offertur, Patrem cœlestem, ut votis tuis annuat, per
 dilectissimum suum filium Victimam verè *Medulla* *Psal. 65:*
tam humiliter deprecaberis: licet hîc tibi petere quic- *15.*
 quid desideras sive pro te, sive pro aliis, nec erit in
 assensu difficilis, qui non contentus eum immolatum
 semel in Ara Crucis, ideo iterum, at modo incruen-
 to, quotidie in Sacrificio Missæ exhiberi voluit, quò
 doni magnitudo sinum divinæ liberalitatis ampliùs
 dilataret. Subjaces aliquibus infirmitatibus, à quibus
 desideras expediri? divinæ gratiæ suppetias impetret
 tibi hoc Sacrificium, quò de Moabitide perfecta effi-
 ciaris Israëlites. Affectas virtutem aliquam, cujus
 penuriam pateris? suppleat inopiam tuam cœlestis
 hæc Victima. Vacillas in proposito tuo? ad eum
 confuge cum divinâ hac Hostiâ, qui est & esse debet
Dux Virginitatis tuæ: qui tibi demonstravit rectam *Jerem. 3:*
viam, inquit D. Fulgentius, *ipse tibi est deductor ad* *4.*
patriam: nec te putes posse deficere, si te ille dignatus fue- *Epist. 2.*
rit custodire. Pateris tentationes? iis objice tanquam *ad Gal-*
clypeum divinam hanc Victimam, sit ea præcipuum *lam. c. 21*
 tuum asylon, roga cum Psalmographo: *Emitte ma-* *Psal. 143:*
num tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis mul- *7.*
tis, de manu filiorum alienorum. Expugna impugnan- *Psal. 34:*
tes me: apprehende arma & scutum, & exurge in adjuto- *1-3.*
rium mihi: dic animæ meæ, salus tua ego sum. Obtinu-
 isti

isti peculiarem aliquam gratiam, Eucharisticum hoc sacrificium offer, nostrâ enim gratitudine provocatur divina liberalitas: est unde tibi gratuleris, quod
 2 Reg. 1: non sis de montibus *Gelboë*, super quos nec ros nec
 21. pluvia veniunt divinæ gratiæ & visitationis. Lapsa es in aliquod delictum? propitiatoriam hanc Victimam exhibe. Abripuit aliquem è tuis hora fatalis? ei requiem æternam obtineat hæc Hostia salutaris. Verbo, quicquid à divinâ Bonitate desideras impetrare, per hanc oblationem extorque: ideò namque ea quæ præcedunt & subsequuntur consecrationem (in qua propriè sita ratio hujus Sacrificii) à Sacerdote in silentio recitantur, quò sine turbatione cor tuum effundas ante Dominum. Ecce quanta ad profectum tuum subsidia, quantæ illecebræ, quantæ devotionis fames & esca! desinunt esse panis & vinum, ac transeunt in corpus & sanguinem CHRISTI: ut quid cor tuum lapideum, & desidiæ duratum frigore in carneum, & amoris flammâ mollium non commutas? Mortis formam hîc illa induit, cur mundo, peccato ac demum tibi ipsi mori non condiscis? ut quid vitia adhuc vigeant in te, eorumque cupiditates flagrant? Cedit ille se tibi in Victimam, cur & tu te totam DEO non immolas? non est, quod contra excipias: & dum hæc fidei oculis quotidie conspicias; mirum revera quòd non tota in Deum abripiaris.

L. 4. de „Sicut ego meipsum, (inquit ille idcirco apud
 Imit. c. 8. Kempæum,) expansis in cruce manibus, & nudo corpore pro peccatis tuis Deo Patri spontè obtuli, ita ut nihil in me remaneret, quin totum in Sacrificium divinæ placationis transfiret: ita debes & tu, temetipsum mihi voluntariè in oblationem puram
 & san-

„ & sanctam quotidie in Missa cum omnibus viribus
 „ & affectibus tuis, quantò intimiùs vales, offerre.
 „ Quid magis à te requiro, quàm ut te studeas mihi
 „ ex integro resignare? Quidquid præter teipsum
 „ das, nihil curo, quia non quæro datum tuum, sed
 „ te. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis præter
 „ me: ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis,
 „ te non oblato. Offer te mihi, & da te totum pro
 „ Deo, & erit accepta oblatio. Ecce ego me totum
 „ obtuli Patri pro te, dedi etiam totum corpus me-
 „ um, & sanguinem in cibum, ut totus tuus essem,
 „ & tu meus permaneres: si autem in teipso steteris,
 „ nec spontè te ad voluntatè meam obtuleris, non
 „ est plena oblatio, nec integra erit inter nos unio.

§. VII.

De Virgine Maria Virginum Patrona.

Cum jam eductus esset Israël è servitute Ægypti-
 acâ, & in mari rubro cum suis submersus Pha-
 rao, *sumpsit Maria Prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat dicens: cantemus Domino, &c.* Hoc tympano D. Gregorius Nyssenus adumbratam intelligit Virginitatem: *nit. c. 19.*
 „ Nam tympanum omni aquæ humore purgatum,
 „ (inquit,) aridumque, magnum sonum emittit; ita
 „ Virginitas, cùm nullum hujus vitæ humorem in
 „ se colligat, clara & illustris existit: Si itaque mor-
 „ tuum quidem corpus illud tympanum fuit, quod
 „ manibus Maria tractabat, corporisque affectuum
 inte-

interitus quidem Virginitas est, fortasse signum,,
hoc non valde remotum est/Prophetrium hanc,,
Virginem esse ... & , Virginum cœtui præfuisse.
Exhortat. Eandem significationem supponens D. Ambrosius,
ad Virg. Mortificate (inquit) membra vestra, ut Tympani,,
modo nulla in iis lascivia carnis exæstuet, omnis-,,
que flagrantie corporalis sensus intereat: nesciat, in,,
iis nisi in mortuis corporis voluptatibus solus Spi-,,
ritus resultare: calcate mundi hujus profundum,,
& pertransite, ut ille sicut equus adhinniens in li-,,
bidinem nullum locum inveniatur in vobis: & qui-,,
cunque voluerit persequens comprehendere vos,,
demergatur. Addo ego, quod & insinuat idem,,
In Insti- Antistes, per hanc Mariam Legislatoris & Sacerdo-
tutione tis Israëlitarum sororem, figuratam illam, quæ divi-
Virg. c. ni nostri Magistri & summi Sacerdotis extitit Mater:
17. & ut illa Virginibus Israëlitis ductricem se præbuit,
ita & hanc, post Christum Virginum omnium, quæ
seculi jugum excussere, & ad vitæ perfectionem pro-
perant, ducem ac Patronam statuo, cujus non modò
illibatam castitatem, sed & virtutum imitentur ex-
empla: quod præmittendum rati sumus, antequam
de obsequiis tractemus, quæ à Virgine huic sacratissi-
mæ Virgini deferenda sunt.

PRIMÒ itaque eam agnoscant Virgines omnes
Status sui alteram post Christum Initiatricem, & ut ta-
lem venerentur: quem honorem tamen hisce quàm
illi inviderunt diversi Hæretici: *Ebionitæ* scilicet teste
I. 6. con- D. Clemente. *Cerinthus* & *Carpocrates* ex S. Irenæo:
stit. c. 6. quibus annumerandus *Helvidius* ex D. Hieronymo
L. 1. con- contra illum, qui licet agnoscat eam virginem in par-
ira hæres. tu Salvatoris, qualem eam negarunt præcitati Hæ-
c. 24. & retici
25.

retici Christum ex semine Joseph conceptum propugnantes, voluit tamen post eum alios filios ex Joseph suscepisse, quos fratres Domini vocet scriptura, quæ & hæresis fuit *Antidicomarianitarum* ex S. Augustino. At contra horum calumnias utrisque ^{de hæres. c. 84.} eam prærogativam asseruere Patres lucidissimæ Scripturæ innixi, in qua prædicitur Virginis partus, ut talis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Et modus concipiendi: ^{Isai. 7: 14.} *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi:* Cum illa Angelo, conceptus & par- ^{Luc. 1: 35.} tus nuntio, replicasset: *Quomodo fiet istud, quoniam* ^{vers. 34.} *virum non cognosco? quod profectò non diceret,* notat S. Augustinus, *nisi Deo Virginem se ante vovisset.* „Sed ^{De Virginit. c. 4.} quia hoc (addit idem Doctor, ne quampiam offendat, quod desponsata fuerit Joseph) Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturus, sed potius contra violentos custodituro, quod ista jam voverat: quamquam etiam, si hoc solum dixisset: *Quomodo fiet istud?* nec addidisset: *quoniam Virum non cognosco:* non quæsiisset utique promissum sibi filium, quomodo fœmina paritura esset, si concubitura nupsisset. Hipponensi jungo Præsulem Nyssenum: Audi pudicam (inquit) Virginis vocem: *Quomodo erit mihi istud, quoniam virum non cognosco?* Angelus partum nuntiat, at illa virginitati inhæret, & integritatem angelicæ demonstrationi anteposendam judicat, nec Angelo fidem non habet, nec à proposito recedit suo: interdixi, inquit, mihi consuetudine viri. Si liberorum causâ ducta fuisset à Joseph, quomodo parituram Angelo prænuntian-

Orat. in
Natalem
Domini.

- tianti se rem novam & alienam audire præ se tulisset, cum ipsa quoque sese obstrinxisset naturæ legibus ut aliquando mater esset? verum quia carnem Deo consecratam tanquam sanctum aliquod oblatum munus oportebat intactam integramque præstare, idcirco licet, inquit, Angelus sis, licet è cælo venias, licet id quod ostenditur naturam superaret humanam, tamen me virum cognoscere nefas est, quomodo sine viro mater ero? Joseph enim Sponsum novi, sed virum non cognosco? quid adhæc auspex Gabriel? quem thalamum statuit puero impollutoque connubio? *Spiritus Sanctus*, inquit, *superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ideoque colligit inde Ven. Beda eam primam Virginitati se mancipasse, interque omnes Virgines ei Principatum ascribit D. Bernardus, & S. Augustinus regnum Virginitatis, qui & eandem Prælatam dicit cunctis Virginum catervis, quam & Virginitatis Magistram appellat D. Ambrosius in Institutione Virginis, cum eam jam ante ejusdem Antesignanam vocitasset. *Egregia Maria! quæ signum sacrae Virginitatis extulit, & intemeratæ integritatis pium Christo vexillum levavit.* Ubi & in Oratione fusa pro Virgine consecratâ, quæ finit illum Tractatum, rogat inter alia: *Agnis tuis admixta sine offensione versetur, comes Virginum, pedissequa Mariarum.*
- Luc. 1. *Tu virgineos choros,* eam alloquitur S. Augustinus, & de Sanctis. *ab incentivæ carnis illecebris alienos, per lilia rosaque vernantes ad fontem perennis vitæ potandos invitat.*
- Serm. 35. *Tu Virginitatis feracissima Planta,* (inquit Joannes Damascenus) *per te enim Virginitatis pulchritudo latissime sese diffudit.*
- Orat. 1. de Nativ. B. M.

Est itaque Dei genitrix Virgo perpetua : est & inter Virgines Primas & Antesignana : glorientur Discalceatæ D. Theresiâ institutrice, Brigittinæ D. Brigittâ multis revelationibus illustri, Clarissæ D. Clarâ, & aliæ aliis : vestra autem gloria est, quòd matrem habeatis Virginem Deiparam : unde & frequentior in foeminis quàm in viris, ut observat D. Hieronymus, Virginitatis cultura. *Inveniebatur, Epist. 22. ut diximus, in viris tantum hoc continentiae bonum, & c. 9. in doloribus jugiter Eva parturiebat : postquam verò Virgo concepit in utero, & peperit nobis puerum ... soluta maledictio est, mors per Evam, vita per Mariam, ideòque & ditius Virginitatis donum fluxit in foeminas, quia cœpit à foemina. Sed quæ gloriantur hac Matronâ, quod SECUNDUM est, virtutes ejus æmulentur necesse est. Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite, Judæis se Abrahæ semen Joann. 8. jactantibus dicebat olim Dominus. Attendite ad pe- 39. tram, iisdem inculcabat Isaias, unde excisi estis : & c. 51. vers. 1. & 2. ad cavernam loci, de qua præcisi estis : attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos. Idem sibi dictum Virgines agnoscant, & ut agnoscant urgent Sancti Patres Virginum Nutricii : „ Sit vobis tanquam in imagine, (præscribit D. Am- L. 2. de brosius) descripta virginitas vitæque Beatæ Mariæ, Virg. „ in qua velut in speculo refulget species castitatis & „ forma virtutis : hinc sumatis licet exempla viven- „ di, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa „ probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid te- „ nere debeatis, ostendunt.... Hæc est imago Vir- „ ginitatis : talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita „ omnium disciplina sit ..., & ut ipsa corporis spe-
L cies*

cies simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Hæc Doctor Mediolanensis, qui & ibidem longum ejusdem virtutum catalogum subtexit, quem frustra repeteremus, cum includat omnes, ut enim

Serm. I. de Assumpt. ait D. Augustinus: „ Quid justitiæ, quid sanctitatis Virgo non habuit? quo hæc indigere potuit, quæ efficacis ad omnia gratiæ plenitudinem accepit? aut, quis potuit in ejus animâ vel corpore locus esse virtutum, quando Sancti Sanctorum templum est effectum? quod D. Ambrosius idem hoc requirit Antistes Taurinensis D. Maximus: „ Sequantur sancta conjugia Patriarcharum conjuges in religionem positæ ac divinis literis informatæ: Saram, Rebeccam, Rachaëlem, Annam, Susannam, Sephoram imitentur uxores: Christi verò Virgines solam Virginem, Matrem luminis, subsequantur. Cujus *Pedissequam* ibidem intitulat D. Agnetem. Et illam Ecclesia *Virginum Reginam & Virginem Virginum*.

Agnoscite itaque filiæ meæ parentelam vestram, honorate vestram & Sponsi vestri Matrem, sed & cavete ne ab ejus gestis vita vestra degeneret aut defleat: „ Dilectissimæ amate quam colitis, & colite, quam amatis: quia tunc verè eam colitis, si imitari velitis de toto corde, quam laudatis.. & quæcunque Virgo sibi ab eâ optat præmium, & impetrat auxilium, debet imitari exemplum, ait Salvianus in Sermonem de Assumptione B. M. ad Paulam & Eustochium D. Hieronymo perperam ascripto. Et mellifluus Bernardus: *Ut impetres ejus orationis suffragium, ne deseras imitationis exemplum.*

§. VIII.

De Horis B. M. V.

INter cultus *Virginum Reginae*, à Virginibus delatos primas obtinet Officium five Horæ B. V. nostratum linguâ *de Gethden ban onse liebe Vrouw* / sic dictæ, quòd certis temporibus per diem recitari consueverint: eas (ut Autor est Baro- *ad an.*
nius) primus præscripsit Gamugensis Cœnobii Monachis *D. Petrus Damiani*: & pro auxilio in Terra sancta contra Saracenos A. 1095. in Concilio Claramontano *Urbanus Papa II.* Clericis omnibus: atque exinde in omnes promiscuè Fideles derivatæ sunt, inter quos, ut Horæ Canonicae Sacerdotibus, sic illæ Virginibus omnibus (quibus otium & literarum notitia) quodammodo propriæ sunt, mutata in eum usum antiquâ consuetudine: jam enim olim Virginum Magistri quædam eis Exercitia præfixerant, quibus stâtis quotidie temporibus vacarent, ea habes apud Athanasium, & apud Hieronymum *L. de Virginit.*
ad Lætam nobilem Romanam: hæc filiam pepererat, cui à nomine Avia Paula nomen, eamque Deo *Epistola 7.*
devoverat: ut autem voto matris aliquando responderet voluntas filia instructionem petiit à D. Hieronymo, quam is hac Epistola accuratam & prolixam suppeditat, inquit inter alia: „Assuescat ex-
„emplo ad orationes & Psalmos nocte consurgere,
„manè hymnos canere, tertiâ, sextâ, nonâ horâ stare
„in acie quasi bellatricem Christi, accensaque lucernâ reddere sacrificium vespertinum. Quod &
alibi

*Epist. ad
deme-
triad.*

alibi idem ille Virginum Doctor inculcat :,, Præ-
ter Psalmorum & Orationis ordinem, quod tibi,,
horâ tertiâ, sextâ, nonâ, ad vesperum, mediâ nocte,,
& manè semper est exercendum, statue quot horis,,
sanctam scripturam ediscere debeas, &c. In quo,,
rum locum iisdem horis accommodum successit Of-
ficium D.V. in se complexum Psalmos, hymnos &
orationes. Ratio autem, cur hæc diei tempora lau-
dibus divinis & precibus potius quàm alia, pia Anti-
quitas deputarit, ut plures alias omittam, hæc est,
quòd ea præcipua redemptionis nostræ opera Chri-
stique beneficia insignierint: nocte namque natus est,

Luc. 2: c. Salvator noster, cui respondent *Matutinæ & Laudes:*

Act. 2: 15. circa ortum solis resurrexit à mortuis, cui *Prima:*

Mat. 27: circa tertiam misit Spiritum Sanctum, cui *Tertia:*

46. circa sextam ascendit in Cœlum cui *Sexta:* circa no-
nam in Cruce tradidit Spiritum, cui *Nona:* circa un-

Ibid. 26: decimam, id est, Vespere corpus suum & sanguinem
20. in cœna in Sacramentum tradidit, cui respondent

Ibid. 27: *Vesperæ:* circo duodecimam quæ hora est *Completorii,*
57. sepultus est. Atque ea de causâ, quòd hæc beneficia

grato animo recoleret, ea diei tempora sacrata ha-
buit antiqua pietas, quòque fructum eorumdem di-
væ Virginis suffragio in se Virgo derivet, ei à suis di-
rectoribus præscriptæ *Horæ de Domina:* non enim
patrocinium suum iis subtrahet, quæ eam hoc Offi-
cio præhonorant: experti sunt illud Carthusiani in
Ordinis sui infantia, namque (ex *Vita S. Brunonis*)

c. 21.

dum obloquiis & pusillanimitate victi de loci & as-
sumpti rigoris dimissione deliberarant, apparens eis
D. Petrus perpetuum addixit D. Virginis patroci-
nium, si in ejus honorem quotidie legerent preces
ejus

ejus horarias : consilium acceptarunt , ejusque emo-
 „ lumenta usque hodie grati agnoscunt. „ Cum au-
 „ tore Petro Damiani, jam ferme per triennium in
 „ Monasterio Gamugense servatum esset (scribit
 „ Spondanus) ut cū solutis Horis Canonicis quoti- *In Epito-*
 „ die beatissimæ Virginis Officiū diceretur, ac Go- *me Ba-*
 „ zo quidam inter eos reprobæ vitæ Monachus de *ronii ad*
 „ novo isto præter Regulas S. Benedicti superposi- *annum*
 „ to onere conquestus reliquos omnes illud depo- *1056.n.2*
 „ nere persuasisset : mox adversus præfatum Mona-
 „ sterium tot undique hostium deprædationes atque
 „ prædonum rapinæ, incendia, cædesque divinitus
 „ excitatæ sunt, ut nec autoritas imperialis à Mo-
 „ nachis implorata his malis curandis suffecerit. Ita-
 „ que causâ tandem calamitatum suarum eod. Pe-
 „ tro Damiani monente cognitâ, statim ac de culpa
 „ pœnitentiam peregerunt, & solitas beatissimæ
 „ Virginis laudes celebrare cœperunt, iidem ab om-
 „ nibus penitus ejusmodi malis liberi sunt redditi.
 „ Narrat hæc, qui ea ob oculos habuit idem Petrus
 „ Damiani in Epistola ad fratres Eremitæ.

Sed ab Officio ad ejusdem recitationem progredia-
 mur, quæ ut fructuosa sit,

PRIMÒ sepositis omnibus aliis occupationibus
 & cogitationibus mentem tuam elevabis ad Deum
 juxta monitum Scripturæ : *ante orationem præpara Eccl. 18:*
animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat 23.

Deum. Hanc autem præparationem promovebit ea
 cogitatio, quâ consideres quantâ Deum reveren-
 tiâ & fervore laudent & adorent in Cœlo An-
 geli omnes & Beati : illi pro acceptis beneficiis &
 gloria grati, tu pro iisdem impetrandis adhuc sup-

plex: cui etiam serviet votum, quo ea attentione & devotione illud à te perfici efflagites, quam habitura est illa quæ persolverit illud quàm perfectissimè: cum Psalmographo suspirans: devotione *sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis* *Psal. 62. 6* *laudabit os meum.* Dignior enim (quæ est censura S. *Epist. 121* Augustini) *sequitur effectus, quem ferventior præcedit affectus.* Vel quâ ipsemet Christus Dominus Patri suo cœlesti laudes in terris dixerit: *Noli esse quasi homo qui tentat Deum,* quod facies, si librum in manus sine ulla prævia mentis elevatione arripueris.

SECUNDÒ piam intentionem, quæ tuam contineat & explicet petitionem, formabis: non enim sufficit, rogare Deum, nisi & eidem insinuetur, quid ab eo velis; quod ni fiat, quasi tentas Deum: ut certè tentaret ille hominem, qui hunc multis precibus fatigans, rogatus quid sibi vellet, id se nescire reponeret. Die itaque Dominico per suffragium sacratissimæ Virginis tibi & fidelibus omnibus à peccatis ferias animæque veram resurrectionem, felicem ex hoc mundo egressum Sanctorumque omnium beatam societatem intendes. Feriâ *Secundâ* Convirginibus, Amicis & omnibus in tua Parœcia defunctis requiem æternam desiderabis. Feriâ *Tertiâ* gratiam Spiritus Sancti, qui charitas est, tibi & omnibus collegis tuis implorabis. Feriâ *Quartâ* Virtutes hujus patriæ Sanctorum affectabis sive divina auxilia ad eos imitandos: vel Hæreticorum ad fidem avitam reditum: aut etiam Missionariis omnibus, præcipuè autem tuo superiori, Spiritum verè Apostolicum, quo illi suis & hic tibi sollicitus sit Præses & Rector, tibi autem & subditis omnibus animum docilem postu-
labis.

labris. Feriâ *Quintâ*, quæ legis ante Communionem, serviant tibi ad eam dignè disponendam: quæ verò eam subsequuntur, alloquia sint & colloquia cum excepto in anima tua hospite. Feriâ *Sextâ*, Christi passionis merita tibi, collegis tuis, & quotquot sunt de tua Communitate desiderabis. Sabbatho denique patrocinium Deiparæ Virginis sollicitabis pro ea vel iis virtutibus acquirendis, cujus vel quarum te maxime indigam agnoscis, quod & aliis diebus fieri poterit, non enim allegatis hisce Exercitiis alligatam Virginem volo.

TERTIÒ quæ legis, cum summa attentione recitabis, ne & te tangat illa Domini querela: *Appro-* *Isai. 29:*
pinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, *13.*
cor autem ejus longe est à me: & benè longè est à me: non enim accedimus ad Deum corpore sed Spiritu, nec solâ linguâ oramus sed corde: *Nam Spiritus est Deus, & eos,* *Joan. 4:*
qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare, *24.*
hoc est, *vocibus à corde non dissonis.* *Nam si orem lin-* *S. Aug.*
gua, Spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. *Epist. 81.*
Quid ergo est? orabo Spiritu orabo & mente, psallam
Spiritu psallam & mente. Habet Apostolus: *linguæ* *1 Cor. 14:*
namque idioma non intelligit Deus, nisi cordis at- *14. & 15.*
tentio adsit tanquam interpres.

QUARTÒ, cum devotione leges, quæ psalmi habent, sive ut loquitur S. Augustinus, *hoc versetur* *Epist. 109*
in corde, quod profertur in voce: non enim more oratorio recitandi sunt, sed ut orationes & cum affectibus, quos verba insinuant: „ Si orat psalmus, orate: „ & si gemit, gemite: & si gratulatur, gaudete: & „ si sperat, sperate: & si timet, timete: omnia enim „ quæ hîc conscripta sunt, speculum nostrum sunt,

Conc. 3. in urget idem Augustinus. Qualem se in iis exhibuit
 Ps. 30. Thomas de Kempis: dum psalleret, ait ejus Diagraphus,
 Roswei- vultu semper in cælum sublato sacro enthusiasmo af-
 dus in Vi- flatus, dulcedine nimirum psalmorum incredibili cap-
 ta. tus, & extra se raptus advertebatur, &c. Qualem &
 Ps. 36: 4. tu te exhibeas necesse est, si ex iis fructum speres: De-
 lectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, non
 solius oris: In rebus divinis, testis est D. Athanasius,
 De pass. non verbis sed factis opus est: nec pronuntiatio lingua
 & Cruce sed animi affectus prodest.
 Domini.

QUINTO denique, ea verba vel ille versus, qui
 tuum maximè commovit affectum, hæreat de die
 & versetur sæpius in tua memoria, sit instar odorife-
 ri floris quem ex Psalmorum horto decerptum asser-
 ves penes te, cujusque te odore frequenter recrees.
 Suspirium fuit? Sæpius illud ingemina. Votum
 fuit? iteratò illud itera. Ex Meditatione enim (ut
 dictum supra) & Horis ac Libro spirituali Orationes
 Ps. 34: 28. Jaculatoriæ (de quibus infra) sunt eliciendæ: Lin-
 gua mea meditabitur justitiam tuam, totà die laudem
 Ps. 118. tuam. Quomodo dilexi legem tuam Domine? totà die
 97. Meditatio mea est, inquiebat Psalmographus. In-
 In Vita flammatorum verborum apparatus habe, Fremio-
 pag. 270. ræ suæ præscribit B. Salesius, quæ ad tempus animæ
 tuæ frænum sint.

§. IX.

De Rosario.

E A hæresis natura est, ut semper ad extrema di-
 vergat: Unde, ut olim divæ Virgini sacrificia &
 hono-

honores divinos impendebant *Collyridiani* circa annum 395. exorti teste Prateolo, eam ultra *decorum glorificantes* ex S. Epiphanio: sic illam moderni Novatores omni omnino cultu spoliant: Ecclesia autem Catholica, in qua sola veritatis sedes, damnans illorum idololatriam & horum inhumanitatem ei varios decrevit, & à fidelibus oblatos approbat, quos inter frequentatus maximè recitatio *Rosarii*, de quo nunc tractandum.

Vocant *Rosarium* seu sertum Rosarum, quòd, ut Rosa odore & colore inter flores reliquos obtinet principatum, sic & inter orationes omnes eæ sibi principem locum vendicent, quibus illud quasi contextitur: habet namque Symbolum Apostolorum, quod est fidei nostræ protestatio: habet Orationem dominicam, cujus ipsemet Salvator noster auctor & doctor: habet denique Salutationem Angelicam, cui post Elizabethæ de hac Virgine elogium & suas preces Ecclesia adjunxit. Errat quisquis hisce orationes alias aut præfert aut comparat, cum in iis omnium medulla sit: cujus quoad Orationem Dominicam testis S. Augustinus: „Quamlibet alia verba dicamus, quæ affectus orantis vel præcedendo format, ut clareat, vel consequendo attendit ut crescat, nihil aliud dicimus, quàm quod in ista Dominica Oratione positum est, si rectè & congruenter oramus: quisquis autem id dicit, quod ad istam Evangelicam precem pertinere non possit, etiamsi non illicitè orat, carnaliter orat: quod nescio quem, admodum non dicatur illicitè, quandoquidem spiritu renatos non nisi spiritualiter decet orare. Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras,

curras, quantum existimo, nihil invenies quod,
 non ista Dominica contineat & concludat Oratio.
 Quæ & causa, cùm olim ante inventam artem Typo-
 graphicam libri cariores, (utpote omnes calamo de-
 scribendi) ac proinde literarum notitia rarior, cum
 excogitatum *Rosarium*, in quo veluti in Enchiridio
 omnes aliæ preces continerentur: cujus Autorem
 statuit Polydorus Virgilius ac diversi alii Petrum
 Eremitam, cùm de bello sacro indicendo cum Ur-
 bano Papa II. egisset, & Christianos omnes ad il-
 lud suscipiendum & promovendum vehementer ex-
 hortaretur: quod deinde *D. Dominicus* propagavit
B. Alanus de Rupe in Swollano Prædicatorum Con-
 ventu vitâ functus & humatus restauravit, & mo-
 do *Dominicani* plurimis scriptis illustant & Fide-
 libus omnibus commendant. Quod & ego tibi Vir-
 go Deo sacra, & magnæ illius Virginis filia, fami-
 liare imò pensum quotidianum volo, ut certè
 est & esse debet omnibus hujus Virginis cultoribus:
 illud, dum adolescens literis operam daret Parisiis,
 cujus & strictissimus executor, emissio perpetuæ con-
 tinentiæ voto singulis vitæ suæ diebus se recitaturum
 promisit *B. Franciscus Salesius*: idem propositum
 usque huc non conceperis, concipias modò, & eadem
 cum illo constantiâ serves: cole familiaritatem cum
 Sponsi tui matre imò & tua: dignare illam eo allo-
 quio, quo eam per Angelum dignata est sanctissima
 Trias: filiali affectu tuas ei necessitates commenda:
 quod dum dico formulam, quam sequaris, insinua
 observatam à nemine & à te multo cum fructu obser-
 vandam, ut nempe quoties Angelicam salutationem
 recitas, toties eidem post hæc verba: *Benedictus frui*
&c.

L. 5. de In-
 vent. re-
 rum c. 9.

Vide Cho-
 quetium
 de SS. Bel-
 gii Ord.
 Prædicat.

in Vita ejus
 p. 12.

fructus ventris tui Iesus, tuam interferas petitionem, est namque & hîc tibi præformanda pia intentio, quæ quotidie eadem esse potest cum ea, quam præcedenti §. ad *Horas* præscripsimus, ut scilicet *Potentis* hujus *Virginis* patrociniis die Dominica petas felicem ex hac vita egressum & perpetuum Beatorum omnium consortium, dices proinde, quoties repetes illud: *Et benedictus fructus ventris tui Iesus*, qui mihi beatam mortem, felicem æternitatem Sanctorumque societatem donare dignetur: quo etiam intuitu exprimes affectu peculiari illa verba: *Ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ*. Feriâ secundâ: ut à sanctissima Trinitate, ad cujus imaginem & similitudinem formata es, auxilium obtineas, quò eam à vitiorum sordibus, quibus in te obsita est, expurges, quale erat votum Davidis: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Ps. 50: 12.
Cor mundum, quod vitiorum sordes ex anima extergat, quodque in ea affectet virtutis splendorem ac divinæ perfectionis imitationem: ex eo namque præter alia resplendet in animâ divina imago & similitudo, si illa, ut Deus vitiis non subjacet, omnemque in se includit perfectionem, à suis se expedire & virtutibus instruere allaboret. Neq; instantanea est hæc renovatio, sed operam requirit & moram: ut enim observat S. Augustinus: „Renovatio non L. 14. de Trinitate c. 17.
 „momento uno fit ipsius conversionis, sicut mo-
 „mento uno fit illa in baptismo renovatio remissione
 „omnium peccatorum, neque enim vel unum quan-
 „tulumcunque remanet quod non remittatur: sed
 „quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab
 „infirmirate quæ febribus facta est revalescere, item-
 que

que aliud est infixum telum de corpore demere, aliud vulnus quod eo factum est secundâ curatione sanare: ita prima curatio est causam remove- re languoris, quod fit per omnium indulgentiam peccatorum, secunda ipsum sanare languorem, quod fit paulatim proficiendo in renovatione hujus Imaginis. Quare dices: *Et benedictus fructus ventris tui Jesus*, qui cum Patre & Spiritu Sancto mihi animam & vires, quibus divinam in me imaginem ac similitudinem expoliam, concedere dignetur. Vel ut amicis, benefactoribus, aut quibusvis defunctis requiem æternam obtineas: quo fine hac clausulâ uteris: *Benedictus fructus ventris tui Jesus*, qui huic, aut illi (pro quo rogas) vel omnibus fidelibus defunctis requiem æternam largiri dignetur.

Feriâ tertiâ: ut expulso omni malo spiritu in te perpetuus sit inquilinus Spiritus Sanctus, qui tedeat & regat: felices revera animæ, quæ tali incolâ gaudent! *Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me*, orabat proinde David. Et gaudent illo Virgines omnes, quotquot suæ non desunt vocationi, magno Athanasio teste, dum exclamat: *O Virginitas templum Dei, & domicilium Spiritus Sancti!* Notandum hîc, dum Dei Templum intitulat Virginitatem, non modò excellentiam ejus insinuasse sanctum Antistitem, sed & ejusdem officium: quid in templo requiratur norunt omnes, ibi fundendæ orationes, ibi audiendum Verbum Dei, ibi silentium, ibi reverentia, & id genus alia præscribuntur: idem in corde Virginis vult agi S. Doctor, ut scilicet per orationes & aspirationes animæ suæ Sponsum alloquatur, ad ejusdem inspirationes attendat, vanarum cogita-

Ps. 50: 13.

L. de Virginit.

gitationum strepitum cohibeat, nec quicquam mo-
 liatur quod oculos ejus offendat: quod si præstet,
 jam eam vocat domicilium Spiritus Sancti: *ô Virgini-
 tas templum Dei, & domicilium Spiritus Sancti!* qua-
 re dices singulis vicibus hac vel simili formulâ: *Be-
 nedictus fructus ventris tui Jesus*, qui mihi Spiritum
 sanctum dare dignetur. Vel, ut semper muniaris
 Angelorum custodia, (quos Virginalis castitatis
Paranymphos & Custodes inscribit S. Basilius) eorum- *L. de Vir-*
 que vitam valeas æmulari: hac namque de causâ Vir- *ginitat.*
 gines Angelis adumbratas subinde diximus. „ Vir-
 „ go (inquit D. Chrysostomus) ad majora sese ac- *L. 3. de*
 „ cinxit certamina (quàm scil. Vidua) utpote quæ *Sacerdo-*
 „ cœlestis illius philosophiæ æmulatrix profitetur se *tio.*
 „ Angelicam vitam in terris referre, cui item propo-
 „ situm est illa eadem præstare, quæ cœlestes illæ at-
 „ que incorporeæ Virtutes præstant. Unde idem ille
 Virginem alloquens: *Si cum Angelis conversationem* *Hom. 22.*
non cupis, inquiebat, *saltem cum Diabolo non conver-*
sare. Terribilia certè verba, quæ meritò ad Angeli-
 cæ vitæ studium Virginem excitent & ad hasce pre-
 ces: *Benedictus fructus ventris tui Jesus*, qui me An-
 gelorum tutelâ munire, eorumque vitæ piam in me
 æmulationem excitare dignetur. Feriâ quartâ, ut
 iis juxta vocationis tuæ exigentiam virtutibus te ex-
 ornes, quibus splendûere olim quotquot ex hisce
 nostris Regionibus Cœlum modò incolas habet: ut
 in te vigeat unius custodia continentix, alterius pro-
 funda humilitas, mansuetudo, obedientia, resigna-
 tio animi, devotio, &c. Vult enim Magnus Basilius, *L. de vera*
 ut, quæ non adumbratum & inane Virginis nomen *Virginis.*
 geret, sit *Castitatis imago*, imò & *ipseus virtutis effi-*
gies.

gies. Quare petes: *Benedictus fructus ventris tui Jhesus*, qui Sanctorum nostrorum virtutibus animam meam exornare dignetur. Feriâ quintâ, ut (si illud Communioni præmittas) in te gratiarum suarum divitias largâ manu effundat, dicendo: *Benedictus fructus ventris tui Jhesus*, qui suarum gratiarum divitias in me profundere dignetur. Sin autem eam sublequatur, eadem formulâ illud ei exponere poteris, cuius te indigam & cupidam sentis. Improbo tamen ut immediatè ante vel statim post sacram Communionem, imò & aliis diebus sub Sacro à Consecratione seu potius Præfatione usque ad Communionem illud recites, cùm congruum sit ut preces tuæ Sacerdotis precibus socientur, iisque tum agas cum illo quem ibi præsentem habes. Feriâ sextâ: quò in te derives merita passionis Christi, dicendo: *Benedictus fructus ventris tui Jhesus*, qui me divinæ redemptionis suæ participem facere dignetur. Quæ participatio in eo sita est, ut peccatis mortua vivas justitiæ. Sabbatho denique ut per eam, quæ *Salva Infirmorum* dicitur, assequaris in omnibus animarum tuarum necessitatibus atque infirmitatibus divinum subsidium, quem in finem dices: *Benedictus &c. Jhesus*, qui meis necessitatibus succurrere & infirmos sanare dignetur. Verbo, poteris simili formula quicquid à Deo vel pro te vel pro aliis obtinueris, efflagitare: nec inutile erit si & mensuræ tui *Patroni*, vel illius à Sanctis, cuius eo die Festum agitur, in eodem memineris, cui locum dabis immediatè post illa Verba: *Sancta Maria mater Dei*, ubi subnectes: *cum B. Bonifacio & Sociis* (si is fuerit) *ora pro nobis, &c.*

Et hæc sunt quæ nobis de Rosario annotanda occurrerunt : quæ plura velit Dominicanorum Libellos passim obvios consulat, & ex iis *Vincentii Hensbergh geestelijcke Gheselaer van Maria* & *de Pontep. §. Med. 38.* ubi de eo multis agit.

Quæcunque autem illud eâ formulâ recitaverit, quæque acceptæ gratiæ collaborarit, nam ut habet *S. Ambrosius* : *id, quod oras, mores tui loquantur, fides adjuvet, opera commendent* : ea certè gratum Virgini cultum exhibuerit ejusq; patrocinium sibi meritò polliceatur, quod incassum sperat, cui nulla aut exigua profectus cura, *circumdabunt enim eam flores Rosarum & Lilia Convallium*, canit Ecclesia in ejus Assumptionis solemnibus, cujus vox : *In plenitudine Sanctorum detentio mea.*

*Exhortat.
ad Virgi-
nem.*

§. X.

De Opere Manuario.

Non est Virginum omnium citra ullam aliam occupationem Exercitiis spiritualibus solummodo vacare : Neque licet omnibus esse *Marias*, at plurimæ in Ordinem *Marthæ* rediguntur, & ad Ministeria, ad Mercimonia, ad Opificia compelluntur : quibus autem hæc fors obtigit, non est quod doleant vices suas, siquidem compatiuntur se mutuo labores spirituales & corporales : imò hoc quibusdam sui temporis Monachis cum à Majorum suorum moribus degeneres illis sine his vacare vellent, (iis namque semper proprium fuit *psallere*, & ne quemquam gravarent, *laborare*) integro Tractatu de Ope-
Tom. 3.

re *Monachorum* intitulo præscribit D. Augustinus: nec suæ Societati in utraque Germania ante exortas nuper hæreses olim florentissimæ, quemquam inferebant *Fratres*, cui non propositum labores manuum suarum manducare, & in sudore vultus sui, non alieno, sed suo pane vesci. Verum quid nobis cum illis Monachis, qui modò eos æmulati, quos culpat Ps. 127:2 Hypponenſis Præſul, & labores exosi, omnes petunt, Gen. 3:19 omnes exigunt aut sumptus lucrosæ egestatis aut sumpta pretium sanctitatis. Hæc fortè offensiva sunt, sed nec à nobis attingenda, nisi nostris Virginibus laborantibus, ne cum Apostolo cuiquam gravamini sint, præferret P. Cæsarius Moniales pauperes, quas hic, etiam ex Lotharingia, & aliunde ex vicinis Provinciis quotidie ferè sentimus onerosas, & cum tam manifesto Castitatis earum periculo sæpius ingemimus mendicas. Aliæ certè sanctimoniales Bononienses, quarum Encomiaſten agit S. Ambrosius. Nunc, inquit, canticis spiritualibus personant, nunc victum operibus exercent, liberalitatis quoque subsidium manu quærent. Liberalitatis subsidium non Liberales, non mendicando sed manu quærent Monachorum sui temporis studiosæ imitatrices, de quo lubet aliquos ex SS. Patribus audire, ne Laboribus nostratium insultent Mendicabula (quæ ex hisce Provinciis renovata sæpius summorum Pontificum. Matrona data profligare hæcenus haudquaquam potuerunt) æquè ac Hæretici Catholicorum sanguisugæ. Orm jam sole (precibus scil. finitis) refert S. Chrysostomus, vadunt ad opus quisque suum, multum hinc proventum egentibus cumulantes. „ Nemo quicquam possidet proprium, de Cœnobitis scribit D. Augustinus.

Gabriel
Biel in
Tract. M.
S. de Vita
Fratrum.
Ps. 127:2
Gen. 3:19
S. Aug. de
Opere Mo-
nacho-
rum.
1 Theſſ. 2:
9. & alibi
sæpius.
Virginis
speciosissi-
mæ c. 11.
L. 1. de
Virgin.

Tom. 5.
Hom. 56.
de Mo-
nach. Vi-
ta.

„gustinus, nemo cuiquam onerosus est: operantur
 „manibus ea, quibus & corpus pasci possit & à Deo
 „mens impediri non possit... sanè quicquid neces-
 „sario victui redundat (nam redundat plurimum ex
 „operibus manuum & epularum restrictione) tantâ
 „curâ egentibus distribuitur, quantâ non ab ipsis, qui
 „distribuunt, comparatum est. Nullo modo nam-
 „que satagunt ut hæc sibi abundant, sed omni mo-
 „do agunt, ut non apud se remaneat, quod abun-
 „daverit, usque adeò ut oneratas etiam naves in ea
 „loca mittant, quæ inopes incolunt. „Patres nostri
 „in Ægypto & Thebaida, (inquit Mellifluus Bur-
 „gundio) sanctæ hujus vitæ ardentissimi æmulato-
 „res, in solitudinibus degentes, angustiiati, af-
 „flicti, quibus dignus non erat mundus, ipsi sibi
 „Cellas ædificabant, in quibus tecti tantummodò
 „& circumsepti à turbine & à pluvia tutabantur, in
 „quibus heremiticæ frugalitatis deliciis affluentes
 „locupletabant multos ipsi egentes: quos quo no-
 „mine dignius appellem nescio, quàm homines cœ-
 „lestes aut Angelos terrestres, degentes in terris, sed
 „conversationem habentes in cœlis. Laborabant
 „manibus suis, & de labore suo pauperes pascebant
 „esurientes ipsi. De vastitate heremi Urbium car-
 „ceres alebant & infirmos, & in quibuslibet infir-
 „mitatibus positos sustentabant viventes de labore
 „suo & habitantes in labore manuum suarum. Quid
 „ad hæc dicemus nos non animales, sed animalia
 „terrena, adhærentes terræ & sensibus carnis nostræ,
 „in sensus carnis nostræ ambulantes, & ex aliorum
 „manibus pendentes? „In Monasteriis Regionum
 „nostrarû (observat S. Bonaventura) cùm jam Men-

L. I. de
 Moribus
 Eccl. Ca-
 thol. c. 31.

ad Fratres
 de Monte
 Dei.

L. I. de
 Profectu
 Religios.
 c. 38.

M

dici-

dicitas invaluisse, nostris temporibus pauci stabiles Religiosi sunt respectu antiquorum in Ægypto, in quâ quandoque sub uno Gubernatore similia vel quinque millia morabantur, quietè viuentes magis quàm nunc apud nos possint decem vel pauciores obedienter & concorditer gubernari, quia de labore manuum sustentati lata prædia & redditus amplios non requirebant, & erant tantùm operando colligentes victum, quem consuementes, nec superflua desiderantes, nec evagantes mendicando, vel adulando pro aliorum devotione, sed de propriis laboribus se & multos debiles & pauperes sustentabant, & labori manuum intenti rumoribus & rixis & variis desideriis non permittebantur intendere: nec quilibet in peram suam reposita acquisita & elaborata, sed sicut semetipsos pro Christo abnegaverant, & alterius imperio se subjecerant, ita & omnia quæ habebant: & quia hoc non strepitu clamoris, non secundum propriam voluntatis arbitrium agebant, sed in summo silentio & quiete ad nutum Abbatis & Gubernatorum suorum, ideò à spiritu devotionis non solum non impediabantur per operis instantiam, sed & plurimum promovebantur, cum peracto quotidiano statuto labore operis reliquum temporis in lectione vel oratione solebant expendere, &c.

Sed ad Virgines regrediamur, quod iis modò solenne, id eis olim inculcatum à Tertulliano: *Manus vestras lanis occupate, pedes domi figite*: congruentiam ejus in simili declarat S. Ambrosius l. 3. de Virginitate. Bonus agricola agrum vicibus exercet, vel, si non patitur otiosum, diversa alternat semina mutatis ut facit

„fœtibus arva requiescant : Tu quoque Virgo pe-
 „ctoris tui colles diversis saltem feminibus fere ,
 „nunc alimoniis mediocribus, nunc jejuniis parcio-
 „ribus, lectione, Opere, prece, *ut commutatio laboris*
 „*induciæ sint quietis.* Hoc & D. Hieronymus ab
 iis exigit, non quas necessitas ad labores compel-
 lit, sed quas generis nobilitas censuumque opu-
 lentia iis merito eximeret : „Habeto lanam semper
 „in manibus, (scribit ad Demetriadem) vel stami-
 „nis pollice fila deducito vel ad torquenda subteg-
 „mina in alveolis fusa vertantur, aliorumque neta
 „aut in globum collige aut texenda compone... si
 „tantis operum varietatibus fueris occupata, nun-
 „quam dies tibi longi erunt, sed quamvis æstivis
 „tendantur solibus breves videbuntur in quibus ali-
 „quid operis prætermisum non est.... nec idcir-
 „cò tibi ab opere cessandum est, quia Deo propitio
 „nullâ re indiges, sed ideò cum omnibus laboran-
 „dum est, ut per occasionem operis nihil aliud co-
 „gites, nisi quod ad Domini pertinet servitatem.
 „Simpliciter loquar: quamvis omnem censum tuum
 „in pauperes distribuas, nihil apud Christum erit
 „pretiosius, nisi quod manibus tuis ipsa confeceris
 „vel in usus proprios, vel in exemplum Virginum
 „cæterarum, vel quod aviæ matrique offeras majo-
 „ra ab eis in refectionem pauperum pretia receptura.
 Hæc S. Doctor, quocum ego moneo quamlibet ve- *Epist. 4.*
 strum : *Facito aliquid operis, ut te semper diabolus in-* *ad Rustic.*
veniat occupatam. Sis semper diligens non sollicita
 Martha, id namque in Evangelio culpatum, sed &
 Mariæ præsentiam & auxilium liberè exposce, quæ,
 licet turbatam erga plurima negligat, socialem tamen

se libentissimè præbet operanti diligenter. „A spiritalibus exercitiis in corporalia nunquam longè, vel in totum recedatur; sed facilè ad ea posse redire, animus assuescat, & cum illis se mutuet, istis semper inhæreat: non vir propter mulierem, sed mulier propter virum, nec spiritualia propter carnalia, sed carnalia propter spiritualia. Habet S. Bernardus ad Fratres de Monte Dei.

Hujus praxin desideras? eam breviter excipe seu potiùs ab Angelis disce, quorum æmula ex sæpè di-

L. de Virg. ctis est vita tua, *ô Continentia Angelorum vita!* ex-

Heb. 1: clamat D. Athanasius: hi, licèt *in ministerium missi*

14. (ex Apostolo) *propter eos qui hæreditatem capient*

Matt. 18: *lutis*, tamen *in cælis semper vident faciem Patris*

10. *mei, qui in cælis est*, ait Christus Dominus. Hos imi-

1 Cor. 10: tare tam in exequendo tuo ministerio & opere, eo-

31. Coloss. que juxta Apostoli præscriptum piâ intentione in-

3: 17. Deum referendo, de qua videri poterit Rodriguez:

p. 1. Tract. quam sub opere ipso piis animum tuum cogitationi-

3. c. 7. & bus elevando ad Deum: ex quo capite Virgini possit

seqq. hoc encomium: „Annon planè Angelicum, quæ

carnis vinculis alligata sit non modo carni con-

sentaneo vivere, sed naturâ ipsâ excelsiorem esse?

Tom. 1. præscribit D. Gregorius Nazianzenus. „Totâ

Orat. 31. animâ, *ô Virgo ad Deum intensa esto...* videtis,

aquarum profluvia plumbeis canalibus inclusa,

quæ, propterea quòd nimium comprimuntur at-

que ad unum feruntur, adeò plerumque ab aquæ

natura excedunt, ut quòd retrò impellitur fur-

sum semper tendat? consimili modo si amorem

strinxis totaque Deo conjuncta fueris, fursum

tendes, nunquam humi prolaberis, nec diffliues, to-

„ta Christi manebis, quousque Christum quoque
 „Sponsum tuum videas. Occupentur manus, oc-
 cupetur & animus: illæ in iis quæ corpus, hic in iis
 quæ animam tuam concernunt: Marthæ collabo-
 ret Maria. „An ignoramus (contra Monachos la-
 „borem detrectantes scribit S. Augustinus) Opifi- *de opere*
 „ces quibus vanitatibus & plerumque etiam turpi- *Monach.*
 „tudinibus theatricarum fabularum donent corda
 „& linguas, cùm manus ab opere non recedant?
 „quid ergò impedit servum Dei manibus operantem
 „in Lege Domini meditari & psallere nomini Do-
 „mini altissimi?

Intende itaque labori tuo atque attende, sed &
 juxta regulam S. Hieronymi: *Per occasionem operis* *Epist. ad*
nihil aliud cogites, nisi quod ad Domini pertinet servi- *Demetr.*
tutem: etenim Virgo cogitat quæ Domini sunt, quo-
modo placeat Deo, non modò dum vacat exercitiis
 spiritualibus, sed & dum distinetur occupationibus
 corporalibus, & occasionem id cogitandi desumit
 ex ipso, quod agit, opere.

Fila ducit? lubet enim ejus opera percurrere, con-
 siderat quot vicibus linum tractari debeat, quidque
 requiratur, ut ex eo fiat tela candida apta usui huma-
 no: cùmque *byssinum justificationes sunt Sanctorum:* *Apoc. 19:*
 inde colligit quæ & quanta requirantur ut perfectio- 8.
 nis byssinum perficiatur, seseque operi seriò appli-
 candi (si eum non habuerit hactenus) animum con-
 cipit, vel (si eum habeat) eidem strenuò insisten-
 di: *Manum suam misit ad fortia, & digiti ejus appre-*
benderunt fusum, ait Proverbiastes. „Nam venerunt *cap. 31.*
 „nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se: & da- *vers. 19.*
 „tum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti &

2. 19. v. 8. candido, habet Apocalypsis S. Joannis. Nota, datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido, non modò præceptum sed & auxilium.

Limbo contextit? animo volvit, solùm esse ad ornatum, continuò sequendam oppositam normam, non confundendos, sed suas habere vices singulos globulos: unde progreditur ad considerandum & animæ similem esse ornatum ex Psalmo 44. *Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Regulam autem esse normam quam sequatur, suæque Exercitia instrumenta quibus eum efficiat, ideoque ea accuratè observanda, nec confundenda vel negligenda.

Textit? dum, ne hiatus sit in opere, filum filo videt intexi, contemplatur in eo virtutum omnium necessariam connexionem, ut enim ait D. Augustinus: *Qui unam virtutem habuerit, habet omnes: & omnes desunt, cui una defuerit: ideoque à quibus videtur Deo debetur Deus Deorum in Sion, ibunt de virtute in virtutem.* Unde omne peccatum, quod quasi error est, sibi interdicens ad prudentiam & continuum virtutum studium se exacuit.

Sartricem agit? ut partes dissutas connectit, sic & animam suam suspirat connecti Deo: sed ut videat illas debere sibi invicem proportionari, sic & proportionum format ac fovet amovendi impedimenta omnia, quò minùs suo Dilecto copuletur. Dum indumenta corpori parat, animam non negligendam contemplatur, sed eam imitando, quæ *quæsitum limum & lanam, & operata est consilio manuum suarum,* interiores & exteriores virtutum induvias eidem meditata.

Provrb.
31: 13.

„ditatur, ait namque Apostolus: „In hoc ingemisci-
 „mus, habitationem nostram, quæ de cælis est, su- ^{2 Cor. 5:}
 „perindui cupientes: si tamen vestiti non nudi inve- ^{2. & 3.}
 „niamur: quia ex D. Augustino, *Non tunicas inspe-*
cturi sumus in regno cælorum, sed vestis cujuscunq; ful- ^{in Ps. 81.}
gor justitiæ deputabitur. Monet proinde apud eundem
 Autor Epistolæ ad Demetriadem Virginem: „Non
 „te earum exempla decipiant, quæ sibi in sola casti- ^{Epist. 142.}
 „tate plaudentes, ut post suas voluntates eant, Dei ^{c. 10.}
 „voluntatem abjiciunt: quæ perpetuæ castitatis bo-
 „num non cum justitiâ, sed pro justitia offerre vo-
 „lunt, & in compensatione peccatorum præmium
 „Virginitatis annumerant, atque pro præmio im-
 „punitatem petunt: vel certè impudentiori vecor-
 „diâ coronandas esse se putant & in Regno Cælo-
 „rum cæteris præferendas, quæ sibi transgressionem
 „mandatorum aditum clausere cælorum. Dum au-
 „tem detritas vel laceras refarcit, de reficiendo com-
 „monetur quicquid in animæ vestitu vel infirmitate
 „animi contritum vel motibus passionum dilacera-
 „tum est, suggerente Apostolo: *Renovamini spiritu*
mentis vestræ: seu potius, ne reparatione indigeat, ^{Eph. 4:}
 „solicitiæ sui custodiæ propositum concipit: „Respi- ^{23.}
 „ce obsecro, (Demetriadi acclamat præcitatus Au-
 „thor) ad ipsam quâ apud Deum illustrata es digni- ^{Ibid. c. 19}
 „tatem: quâ per baptismum in Dei filio renata es,
 „rursumque per consecrationem Virginitatis Spon-
 „sa Christi esse cœpisti: ex utroque hic tuus honor
 „te ad sollicitudinem tui propositi admoneat: at nul-
 „lus debet esse ibi negligentiae locus, ubi tam præcla-
 „ra servanda sunt: pretiosior quæque vestis dili-
 „gentiâ timidiore custoditur à macula, multo

quæsitâ auro gemma majori sollicitudine possi-
detur, & generaliter grandi curâ magna quæque,
servantur: unde & tu, si teipsam benè custodire,
cupis, debes honorem tuum semper pretiumque,
cogitare; tantò enim se unusquisque negligen-
tiùs utitur, quantò se existimat viliozem.

Aliorum ministerio est mancipata? ex obsequiis,
quæ illi exigunt, colligit quale obsequium debeat
summo Patrifamilias, atque ad illud impendendum
continuum habet motivum: si namque illi volunta-
ti imò & nutibus suis, quia temporalem mercedem
addixerunt, exactam obedientiam velint, exactiorem
inde colligit deberi, & quia debetur, exhibet ei qui
pollicetur cœlestem: non vult tamen esse Mercenaria:
in Ps. 72. „ Qui enim Christum sequitur (præscribit S. Am-
brosius) non præmio ducitur ad perfectionem,
sed perfectione consummatur ad præmium: imi-
tatores enim Christi non propter spem boni sunt,
sed pro amore virtutis: Christus enim per natu-
ram bonus non propter præmii cupiditatem, ideò
passus est, quia benefacere eum delectavit, non
quia incrementum gloriæ ex sua Passione quære-
bat: ideo qui illum imitari cupit, non quid sibi
sed quid aliis prosit operetur.

Lintea lavat, suppellectilia aut domum emundat
fordes, quas everrit, ac maculæ, quas eluit, eam do-
cent animæ fordes & maculas expurgare: orat inte-
rim cum Psalte: *Amplius lava me ab iniquitate mea
& à peccato meo munda me.* Amat namque ille anima
nitorem & splendorem, & quia ille amat, amat & il-
la; ideòque labor corporalis prototypon est quod
illa imitetur in ea expurganda.

Cir-

Circa focum & in culina occupatur? ruminat illud Salvatoris: *Meus cibus est ut faciam voluntatem* Joan. 4: *ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* Optatque ut 34 idem & illa dicere possit. Vel illud: *Beati qui* Matth. 5: *esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabun-* vers. 6. *tur, ideoque in se hanc famem & sitim nititur excita-* re. Vel ejusdem ineffabilem charitatem Euchari- stiam in animæ cibum instituentis. Vel quid aliud.

Exercet Mercimonia? subinde recogitat, quod à Domino bona sua servis distribuenti dictum: *Negotiamini dum venio; & quomodo redux jussit voca-* Luc. 19: *ri servos quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quis-* 13. *que negotiatus esset.* Et quia pecuniam hanc novit esse vers. 15. Dei gratiam & dona, quibus etiam ipsa cumulata est, data ad lucrum, ex mercaturâ suâ praxin spiri- tualis addiscit, certa futurum aliquando tempus „reddendæ rationis, „Quia is, (inquit D. Grego- Hom. 9. rius) qui nunc piè spiritualia bona tribuit, distri- in Evang. „ctè in judicio merita exquirat: quid quisque acce- „perit, considerat; quod lucrum de acceptis repor- „tet, pensat.

Sed quia animam varietas oblectat, modò ali- quid ex Psalmis quod in lectione Horarum te præ re- liquis affecit: modò quippiam ex matutina Medita- tione: modò quiddam ex audita concione revolves: modò etiam eas cogitationes fovebis, quas tuus tibi inspirat Dilectus atque ex iis pios in te elicies affectus atque aspirationes, quas & sine præ- via consideratione sæpiùs iterare poteris, de quo S. Augustinus: „Dicuntur fratres in Ægypto cre- Ad Pro- bam de „bras quidem habere orationes, sed eas tamen bre- Modo o- „vissimas & raptim quodammodo jaculatas, ne illa randi. Epist. 121. „vigi-

vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat atque hebetetur intentio. Ut enim optimè solvit qui auro, sic, qui precatione brevi: hæc ut aurum pondere non mole præstat.

Itaque Filiæ meæ, cùm audiam sæpiùs vos quæ-
 rulas de temporis defectu pro exercitiis spiritualibus
 & de impedimentis quæ ab iis vos avocent, præ-
 scriptam vobis hanc praxin servate, quâ tempus
 redimatis: eam nullæ occupationes poterunt impe-
 dire, in qua totum devotionis negotium consti-
 tuit B. Franciscus Salesius Introduct. p. 2. c. 13. In
 hospitio Jesu Sorores sunt & esse debent Martha &
 Maria, cùmque illa satagit circa suum ministerium,
 hæc Jesu se sociam præbet: mutua earum est exhor-
 tatio: *Levemus corda nostra cum manibus ad Deum*
 Qui orat & laborat (juxta D. Bernardum) cor le-
 vat ad Deum cum manibus: qui verò orat & non
 laborat, cor levat ad Deum & non manus: qui au-
 tem laborat & non orat, manus levat ad Deum &
 non cor. Igitur necesse est nobis cor in oratione ad
 Deum levare, & manus cum operatione ad Deum
 extendere.

Tbren. 3:
41.
L. de mo-
do benè
vivendi,
Serm. 51.

§. XI.

De Libro Spirituali.

EX mutabilitate Mundus subsistit, si namque
 aër nunquam serenus semper plueret, vel sine
 pluvia semper rideret, & sic de cæteris, sterilis om-
 ninò foret terra: homo, quem *μικροχρόμιον* dixere
 Veteres

Veteres, hoc Universum æmulatur, cui æquè ac illi necessaria vicissitudo non modò secundum eum, qui *2 Cor. 4: 16.* juxta Apostoli phrasin *foris est*. Si namque sine vigiliis semper dormiret, vel sine somno semper vigileret, idem judicium esto de reliquis, citò deficeret. Sed & juxta ejusdem epitheton secundum interiorem, quâ renovetur de die in diem: quæ potissimum triplex est, *Oratio* scilicet, *Operatio* & *Lectio*: *Rom. 7: 22. Ephes. 3: 16.* neque enim potest homo semper orare aut laboribus & libris incubare, sed eorum grata imò & utilis vicissitudo, ut modò oret, modò laboret, modò aliquid „legat eaque inter se commutet. „Ancilla Christi, „(ait D. Bernardus) debet semper orare, legere, *Tract. de Modo bene vivendi* „& operari: divide tibi spatium diei in tres partes: *Serm. 51.* „in prima ora, in secunda lege, in tertia parte labora: „si aliquando à lectione cessaveris operari debes ut „nunquam sis otiosa, quia otium inimicum est animæ. De Oratione & Operatione jam egimus in præcedentibus, modò tractandum de *Lectio*ne, quam cum S. Bernardo supra Virgini impensè commendant Virginum Magistri. *Nunquam cesses à divinis eloquiis*, habet D. Fulgentius & *totam delectionem cordis tui Scripturis sanctis indulge.* *Epist. 2. ad Gallam. c. 21.*

Unum illud tibi nata Deo præque omnibus unum *Prædicam*, & repetens iterumq³ iterumq³ monebo, ut *animum tuum sacræ lectionis amore occupes*: De metriadi præscribit S. Hieronymus, & Lætæ profilia Paula, prius Christo consecrata quàm genita: sic dies transeat, sic nox inveniat laborantem, orationi lectio, lectioni succedat oratio. Ubi & Librorum catalogum subnectit. *Deliciæ spirituales*, à sacris Viduis (quas *secundas Virgines* dixit Antiquitas) exigit D. Augustinus,

L. de Bo-
no Vidui-
tatis c. 21.

de Vani-
tate mun-
di p. 1.
c. 68.

Tom. 2.
l. 3. p. 5.
f. 2. c. 2.

Scala Re-
ligiosorum
Tract. 1.
c. 9.

stinus, *deliciis carnalibus in sancta castitate succedant, lectio, oratio, psalmus, bona cogitatio, bonorum operum frequentatio, spes futuri seculi & cor sursum.* Quia ut obscœni Codices dæmonis sunt canales per quos turpes & vanas cogitationes in legentium animas derivat: „Is namque, qui arroganter (inquit Didacus Stella) in cœlo præsumperat esse similis Altissimi, ut in malitia sua obstinatus in quocunque potest connititur semper se ei comparare eumque æmulari: itaque cùm sciat Deo suos esse Evangelistas, factorum suorum Chronographos & sanctorum Librorum Scriptores, vult & ipse Actuarios ad imitationem Dei habere, qui prophanorum horum librorum scriptoribus utatur, ad peccati professionem: qui non secus doceant, quomodo ad infernum eundum, quam Servi Dei & Scriptores Christiani bonis libris viam salutis aperiunt. Ut ergo per obscœna volumina is in animas instillat peccati venenum, ita è contrario venæ sanctarum cogitationum & desideriorum sunt libri pii eorumque attempta lectio: „Illa enim ut magistra sensum sacram Scripturarum revelat, notat Alvarez de Paz: illa ut lucerna aut sidus fulgentissimum intellectum illuminat: illa ut nutrix spiritu infantulos loqui docet, & ad orationem & meditationem allicit: illa ut ignis castos divini amoris affectus accendit: illa demum ut Pædagogus cor nostrum colligit, & à distractionibus & cogitationibus ineptis avertit. „In hujuscemodi Libris & in sacris Scripturis quasi in speculo vides (scribit Dionysius Carthusianus) & agnoscis teipsum & faciem cordis tui: ibi imperfectio-

nem

„nem tuam clarissimè conspicias: quid agendum restet
 „& qualiter proficere debeas discis. „Valde nobis
 „est necessaria lectio divina (loquitur D. Bernardus) *supra*
 „nam per Lectionem discimus quid facere, quid ca- *Serm. 50.*
 „vere, quò tendere debeamus, unde dicitur: *Lu-*
 „cerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis *Ps. 118:*
 „meis. Per lectionem sensus & intellectus augentur: *105.*
 „lectio nos ad orationem instruit & ad operatio-
 „nem. „In his enim quasi in quodam speculo, teste
 „D. Augustino, homo seipsum considerare potest *Serm. 112.*
 „qualis sit vel quò tendat. Lectio assidua purificat *de temp.*
 „omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia su-
 „perna cor instigat legentis ... geminum confert
 „donum lectio SS. Scripturarum, sive quia intelle-
 „ctum mentis erudit, seu quia à mundi vanitatibus
 „abstractum hominem ad amorem Dei perducit:
 „sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex
 „divinis eloquiis interior homo nutritur & pascitur.

Equibus duplex Confectarium elicatur: PRI-
 MUM quales Virgini legendi sint Codices, ii scil.
 qui tractant, ea, ut præscribit Carthusianus quæ *supra.*
 „compunctionem inducunt, devotionem nu-
 „triant & inflammant, timorem Dei in corde sta-
 „biliunt, & quæ ad vitiorum horrorem, ad
 „mundi Contemptum, ad suiipsius aspernatio-
 „nem & humiliationem vehementiùs incitant
 „atque erudiunt: ea quoque quæ efficacius docent
 „modum & ordinem spiritualis profectus, reforma-
 „tionem passionum, remedia ac triumphum ten-
 „tationum & exercitationem internam. Quales post
 Sacram Scripturam (quæ Augustino nil præcipit,
 nisi charitatem, nil culpat nisi cupiditatem) sunt Imi-
 tatio

tatio Christi Thomæ de Kempis, ejusque Magistri Gerardi Zutphaniensis *Reformatio interior ac Spirituales Ascensiones*. Salesii *Philothea* & Opuscula alia *Exercitium Perfectionis* Rodericij, &c. Patrum Parthenodidactica non allego, cum hæc idiomate belgico Virginibus necdum loquantur.

SECUNDUM, quomodo Libri Pii legendi: pro cuius majori explicatione notandum primò, antequam inchoes Lectionem, ut eam Dei tecum colloquium tibi persuadeas: ea namque Orationem inter & Lectionem observata à Patribus differentia, ut Oratio tua Dei sit allocutio, & Lectio sit Dei tecum colloquium: „Qui vult cum Deo semper esse (monet D. Augustinus) frequenter debet orare & legere: „nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur: cum verò legimus, Deus nobiscum loquitur. Et iisdem ferè verbis Mellifluus Bernardus: „cum oramus cum Deo loquimur, cum legimus Deus nobiscum loquitur: si vis cum Deo semper esse, semper ora & semper lege: quomodo etiam alii Patres loquuntur. Quare pià aliquā aspiratione te docilem significabis quin & te doceri postulabis: loquere Domine, quia audit Ancilla tua. Secundò ut ea, quæ legis, tanquam tibi Dicta accipias: *Si vis profectum habere* (verba sunt Thomæ de Kempis) *lege humiliter, simpliciter & fideliter*: Quare dolebis, si præscriptis documentis vitam tuam disparem deprehenderis mediaque considerabis, quibus te eis conformes. Debet enim admonitio esse Lectio non occupatio. „Leges (dogma est Dionysii Carthusiani) non varia percurrendo, & folia revolvendo, aut solam notitiam vel temporis deductionem, seu speculativam & super-

Sup.
Serm. 112
de temp.

Supra
Serm: 50.

1. Imit. 5.

Supra.

„ficialē delectationē quærendo, sed ut proficias,
 „ut virtuosus reddaris, ut in timore, humilitate, cu-
 „stodia ac salubri proposito, decentiâ morum, re-
 „frœnatione linguæ ac sensuum, reformatione pas-
 „sionum & puritate interna funderis, corroboreris,
 „excreas: idcirco quæ legis tibi ipsi applicare mox
 „debes, imperfectionem tuam deflere, emendatio-
 „nem proponere, & ordinatè, ferventer ac perseve-
 „ranter persequi eam: atque ad hoc collimare juxta *L. de*
 D. Ambrosii consilium, *ut succus ille spiritualis cibi Cain &*
in omnes se venas animæ diffundat. „Nihil enim pro- *Abel.*
dest facienda didicisse & non facere. Ait Autor Epi- *Epist. 142*
 stolæ ad Demetriadem apud Augustinum, qui &
 monet: „Ita scripturas sanctas lege, ut semper memi-
 „neris Dei illa verba esse, qui legem suam non solùm
 „scire, sed etiam impleri jubet. Optimè utêris lectio-
 „ne divina, si tibi eam adhibeas speculi vice, ut ibi
 „velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel
 „fœda quæque corrigat, vel pulchra plus ornet.

Itaque, cujus utilitatem & praxin audisti, sit tibi,
 Virgo, Lectio familiaris: non exigo qualem olim *Epist. ad*
 Hieronymus ut etiam *tenenti codicem somnus obrepit,* *Eusloch.*
& cadentem faciem Pagina sancta suscipiat. Neq; quod *in Brevia-*
 in Virgine generosa D. Cæcilia celebrat Ecclesia, quæ *rio Rom.*
semper Evangelium Christi gerebat in pectore & non *22.*
diebus neque noctibus vacabat à colloquiis divinis & *Novemb.*
oratione. Sed ut quotidie certum aliquod tempus *Resp. 3.*
 ei deputes, quod potest esse vel antequam pomeri- *ad Noct. 1*
 diano operite tradas, vel sub ipso opere intra ter- *Ad Fra-*
 tiam & quartam, non enim, ut fructuosa sit, debet *tres de*
 esse ex abrupto & casu fortuito, sed tempore & hoc *Monte*
 fixo. „De quotidiana lectione, (verba sunt D. Ber- *Dei,*
 nardi-

nardi) & supplementum eorum, quæ adhuc desiderari possent, aliquid quotidie in ventrem memoriae demittendum est, quod fidelius digeratur, & & sursum revocatum crebrius ruminetur: quod proposito conveniat, quod intentioni proficiat, quod detineat animum ut aliena cogitare non libeat: hauriendus est sæpè de Lectionis serie affectus & formanda oratio quæ Lectionem interrumpat, & non tam impediatur interrumpendo, quam puriorem continuò animum intelligentia Lectionis restituat.

§. XII.

De Solitudine.

Gen. 8: 8. **N**Oëmum, autor est Moyſes, tempore cessantis diluvii ex Arca emisſiſſe columbam, sed, cum
vs. 9. non invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est eum in Arcam: quam ego Virginum magistram juve re appellavero, quæ eas doceat.

PRIMÒ: ut non egrediantur domo, nisi urgente necessitas vel justa eas causa emittat: *Non est bonum* ait D. Athanasius, *sine magna necessitate in publicum prodire: quietem ama quantum potes.* „Rarus sit, egressus in publicum, Eustochio (quam alibi *Virginis tatis & Ecclesiæ Monile præciosum* intitulat) præscribit S. Hieronymus, nonquam causa deerit procedendi, si semper, quando necesse est, processura sis. Zelotypus est Jesus, non vult ab aliis videri faciem tuam (ideoque) semper te cubiculi tui secreta custodiant. *Neque enim passim licenterque procedet,* vult D. Basilius, *nec nisi, quæ Virgines conser-*

L. de vera Virginit.

servat, necessitate cogatur, aliorum se domibus ingeret. Qui & junioribus ad solam Ecclesiam progressum indulget: *Habitâ diligenti ætatis suæ ratione non temerè progredietur, sed intra annos adolescentiæ posita ad Ecclesiam tantum ne tum quidem sola & incommittata procedet.* Quem Basilio rigidior adhuc restrin- git Ambrosius: *Ipsa quoque ad Ecclesiam progressio Exhort. ad rarior sit adolescentulis.* Nec improbat, etiam in *Virg.* Festis, S. Hieronymus: „Scio ego sanctas Virgines, *Epist. 7. ad De-* „quæ diebus festis propter frequentiam populo- *metriad.* „rum pedem domi cohibent; nec tunc egrediuntur, „quando major est adhibenda custodia & publicum „penitus devitandum.

Nunquamne ergo Virgini adeundæ consanguineorum suorum nuptiæ? *quis illi, respondet D. Cy-* prianus, *in nuptiis locus est? cui animus ad nuptias non D. Disc. est? aut voluptaria & læta esse quæ possunt, ubi & hab. & studia & veta diversa sunt? Neque amicorum fre- Virg. quentanda convivium? juxta D. Ambrosium convi- L. 3. de viorum devitandæ celebritates. Nec saltem invisendi Virg. aliquando amici ac noti? fugienda salutationes ab eodē D. Ambrosio præcipiuntur: si id ægrè ferant, discite Ibid. hac in parte superbiam sanctam, suggerit Eustochio Epist. 22. Hieronymus, scito te illis esse meliorem. Neque recrea- tionis ergò interdum obambulandum? foris vagen- „tur Virgines stultæ, eidem consulit idem, tu in- Ibid. „trinsecus esto cum sponso... Daniel in sublimi cœ- Dan. 6:10 „naculo suo (neque enim manere poterat in humili) „fenestras apertas ad Hierusalem habuit, & tu habe- „to apertas fenestras, sed unde lumen introëat, un- „de videas civitatem Domini: ne aperias illas fene- „stras de quibus dicitur: *Intravit mors per fenestras Hierem. 9: 21. nostras**

nostras quasi enim, qui in intimis latet, ut loquitur Abbas Clarevallensis de Pass. Domini c. 28. *quidam adeps & medulla Ecclesiae sunt Virgines Christi.*

Audite hæc, quæ ubique & nusquam non apparetis, nullibi quàm domi aut rariores aut magis coactæ, fortè sollicitæ ne cordones & futores feriantur aut ociantur: quasque non importuna sollicitatio, sed vel unicus nutus abducit ad convivia, vel etiam quæ iisdem non invitata vos ultrò ingeritis: sed & ne tanquam nimis scrupulosi traducantur Patres, attendite quo intuitu divagationes, confabulationes, vel commestationes prohibuerint, quia scil. vel interioris devotionis impedimenta sunt, eò quod visa vel audita sæpiùs importunè memoriæ reoccurrunt mentisque attentionem turbant: „ Illud superfluum
Epist. 142 arbitror te monere (apud S. Augustinum præscri-
c. 22. bitur Demetriadi) quàm parca in procedendo debeas esse, quàm rara, cùm te hoc etiam secularis ab infantia honestas docuerit, & facilè intelligas, id tibi multò magis in *hac Vita* esse servandum quam maximè secretum decet: illud admodum, ut ipsis quoque salutationibus, quæ tibi in cubiculo tuo exhibendæ sunt, certissimum modum ponas, ne sint nimix, neque quotidianæ, ne non tam officium quàm inquietudinem præstare videantur. Vel etiam quia Propositum subvertunt aut enervant, & ad illicita affectum pelliciunt. *Gen. 34.*
Epist. 22. *egressa corrumpitur* præmonet D. Hieronymus, *nolo te sponsum quærere per plateas,*
c. 3. vs. 2. *los civitatis.* Ubi allegans illud ex Canticis: *Surgam & circumibo &c.* Et invenerunt me custodes, qui circummeunt civitatem; percusserunt me, & vulneraverunt me.

*runt me, tulerunt pallium meum mihi custodes muro-
rum.* Concludit: si autem hoc exiens patitur
illa, quæ dixerat: ego dormio & cor meum vigi-
lat: & fasciculus stractes fratrueis meus mihi in
medio uberum meorum commorabitur: quid de
nobis fiet, quæ adhuc adolescentulæ sumus? quæ
sponsa intrante cum sponso remanemus extrinse-
cus? fructus arborum, quæ sepibus non sunt cir-
cumdatæ sed juxta viam positæ, nunquam matu-
rescunt, quia viatores illos ante maturitatem decu-
tiunt: neque bona proposita, quæ anima concepit,
in opus conferentur nisi fugiantur consortia & diva-
gationes.

Discat itaque Virgo, cœlestis Noëmi *Columba*,
hoc titulo sæpius à Sponso divino in Canticis cele-
brata, à Noëmica Columba è domus suæ Arca non
spontè avolare sed emitti. Timeat damna quæ se per-
petuam Dei Ancillam optat. „Dixit quidam (an-
„notat Kempensis) quoties inter homines fui minor *1. Imit.*
„homo redii. Hoc sæpius experimur, quando diu *20. n. 2.*
„confabulamur. Facilius est omnino tacere quàm
„verbo non excedere. Facilius est domi latere quàm
„foris se posse sufficienter custodire: qui igitur in-
„tendit ad interiora & spiritualia pervenire, oportet
„eum cum Jesu à turba declinare. Nemo securè ap-
„paret nisi qui libenter latet: nemo securè loquitur
„nisi qui libenter tacet. Sed & discat ab eadem

SECUNDO amorem solitudinis: *Quæ, cum non Gen. 8: 9.*
invenisset ubi requiesceret pes ejus, reversa est ad eum
in Arcam. Anima, quæ in Deo suo deliciatur, so-
dales omnes, exteriora omnia despicit: amat illa soli-
tudinem, Deoque suo in cordis sui secreto jugiter

Tom. 5.
Serm.
quod re-
gulaves
fœminæ
viris co-
habitent.

adhærescere: talis Thomas de Kempis, cujus diver-
bium: *In omnibus requiem quæsi vi, & nusquam in-
veni, nisi in angello cum libello.* Talis fit quælibet Vir-
go necesse est, quæ Virginis nomen geret & omen.
An nescitis qualem rem aggressæ? in quem ago-
nem instructæ estis? (ad Virgines declamat
S. Chrysostomus) quam prælii partem fortitæ?
cujus ordinis in exercitu hæredes & occupatrices
estis? apud ipsum belli ducem, imò apud ipsum
habitationis Regem & militatis. Sicut igitur in bellis
non unum locum exercitus omnis occupat, sed alii
cornua agminis, alii medium, alii postrema, alii
frontem phalangis ornant, alii autem ubi ubi Rex
compareret, ibi cum ipso apparent: sic quoque &
Virginum Chorus nullum alium nisi hunc ordi-
nem sortitus est. Non sic ii qui aureas togas indu-
ti & equis auro ornatis vecti, & aurea ferentes
Sceptra & gemmata monilia præsentem Regi videri
debent, ut Virgo Christo. Nam illi quidem apud
ipsum currum regium versantur, Virgo autem re-
gius quoque currus fit sicut Cherubin si vult, &
adstat ipsi sicut Seraphin. Dum vadit quasi per
desertum eat: quando autem sedet in Ecclesia, pro-
fundissimo silentio oculus nullum videat præter-
euntium non mulierum non virorum, sed solum
Sponsum & præsentem & conspicuum. Conce-
dens autem iterum in domum ei in precibus lo-
quatur & ejus solius vocem per Scripturas audiat,
& in domo eum, quem desiderat & amat, solum
cogitet: ut peregrina & advena omnia faciat, qua-
si res præsentem nihil ad eam pertineant: & non so-
lum masculorum fugiat aspectus, sed & conven-
tum

„tum secularium mulierum: tantâque corpori sup-
 „peditet quanta necesse, & universa in animæ salu-
 „tem impendat. hæcenus Aureum illud Os. Ne-
 „que enim temerè ratiocinatur S. Basilius: „Grega- *L. de vera*
 „lem esse Virginem decet, quæ nuptiarum vincula *Virgin.*
 „fugit, neque passim, quò velit, accedere, quasi
 „ideò renuerit virum, non ut immortalis Sponso
 „semper assideat, sed ut in potestate habeat quocun-
 „que velit malè libera & vaga discurrere: nempe
 „enim Virgo non ideò viri connubia respuit ut vitæ
 „arbitro ac teste careret, sive ut zelotypiâ libera ubi-
 „libet versaretur ut vellet, sed ut voluptates carnis
 „partusque dolores & laboriosissimam curarum se-
 „cularium molem ærumnosamque solitudinem
 „fugiens sub iudice & teste Deo virtutis zelotypo
 „vitam suam ad incorruptionem disponderet atque
 „dirigeret. Eas quippe quæ per vicos ac domos li-
 „berè volitant indisciplinatas esse non Virgines veri-
 „tatis sermo denuntiat, *Otiosæ enim discunt circuire 1 Timoth.*
domos, non solum otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ, lo- 5: 13.
quentes quæ non oportet. Tuo itaque muneri satisfac-
 „cies? suavissimâ Dei tui familiaritate jugique con-
 „suetudine frui desideras? ama solitudinem, ait nam-
 „que: *Ecce ego lætabor eam, & ducam eam in solitudi-* *Osee 2: 14*
nem & loquar ad cor ejus. Virginum Regina Dei fi-
 „lium conceptura ubi ab Angelo deprehendebatur?
 „in convivio? in platea? in confabulatione? neuti-
 „quam, sed in cubiculi sui eremo: „Considera quan- *Luc. 1: 28*
 „ta fuerit Maria, & tamen nusquam alibi nisi in cu-
 „biculo reperitur, cùm quæritur: illa te doceat,
 „quid sequaris, inquit Doctor Mediolanensis. At *Exhort.*
 „ubi eum duodennem amisit? in itinere, licet religio- *ad Virg.*
 „fo,

- Luc. 2:* so, inter amicos & notos. Verum post diutinam
43, 44. sed frustraneam inquisitionem ubi tandem iterum
vers. 46. invenit? *Invenierunt illum in Templo sedentem in me-*
dio Doctorum audientem illos & interrogantem eos. Il-
Supra. la te doceat, inquit D. Ambrosius, quid sequaris.
 Sidera namque errantia plerumque fiunt cadentia.
Eccl. 9: 7. quare noli circumspicere in vicis civitatis nec oberra-
Thren. 3: veris in plateis illius. Quia bonum est praestolari cum
26. silentio salutare Dei. Mens nec extrorsus dissipata, ex-
Epist. 1. arat D. Basilius, nec in mundum per sensoria diffusa ad
 sese ipsa redit, moxque suo pte nutu ad Dei notionem
 evadit.

S. XIII.

De Societate Virginis.

- L. 2. in*
Lucam. SI tamen molesta sit tibi solitudo & gravis, si te
 afficiant consortia: ea ambias, iis te ingeras, per
 me licet, id ego ex SS. PP. naturae tuae indulgeo,
 non tamen absolute, sed cum restrictione: nolo enim
 ut cum sexu dispari sit tibi consuetudo; „Trepidare
 Virginum est, & ad omnes viri ingressus pavere, „
Epist. 22. omnes Viri affatus vereri scribit D. Ambrosius. Ea
 namque in carnalem plerumque degenerat, ob quam
 „Piget dicere (conqueritur S. Hieronymus) quot
 quotidie Virgines ruant, quantas de suo gremio
 mater perdat Ecclesia, super quae fidera inimicus
 superbus ponat thronum suum, quot petras exca-
 vet & habitet coluber in foraminibus earum. Dum
 namque stuppa sociatur & ignis, flamma libidinis
 facile exaestuatur. *Scintilla culmen accendit, aqua flam-*
man

mam obruit: in Exhort. ad Virgines cecinit Ecclesiæ Theologus. Nolo etiam cum Secularibus agas: *Nolo habere consortium matronarum*, Eustochio præscribit idem Hieronymus, *nolo te frequenter videre*, *Ibidem.* *quod contemnens Virgo esse voluisti.* Obliviscere *populum tuum* præcipit Psalmographus, idque integro *Psal. 44:*
 Tractatu urget D. Ambrosius: „Nescio quid quæ-
 „ras, (inquiens inter alia) quales amicitias vel *v. 11. L. ad Virg. Devotam*
 „quales fabulas habeas cum illis: devovisti animam *c. 1.*
 „tuam ad destruenda omnia quæ sunt hujus seculi:
 „quomodo autem quæris seculum, cui renun-
 „tiasti?

Sed cum Virginibus sit tua conversatio, similis simili gaudet: aqua fluminis quousque alveo suo concluditur limpida est, at, ubi ripas transgreditur, turbida redditur: tuus, ô Virgo, animus mihi fluvius est, qui continuò fluat in abyssum divinitatis, etenim *Virgo cogitat quæ Domini sunt*: si is effluat in Secularium consortia, sordes contrahet variorum phantasmatum incurretque periculum (quod subinde factum vidimus) ne alveum mutet: sin autem cum Virginibus verferis, jam quasi manet intra ripas suas, nec de sua quicquam amittet puritate: quarum tamen tibi necessarius delectus: nolo enim ut cum omnibus promiscuè agas, sunt namque multæ, ut D. Hieronymi utar phrasi, *quæ nolunt esse Virgines, sed* *Epist. 22.*
videri: „Pridem enim factum est, ut & in sanctarum *c. 6.*
 „Virginum chorum infinitæ eademque vitiis refer-
 „tæ infinitis invaserint, debacchatæque fuerint, quæ
 „res & luctum multò acerbissimum parit, teste D. *L. 3. de Sa-*
 Chrysostomo: quibuscum omnis sit tibi interdicta *cerdotio.*
 familiaritas: ad salutem corporis declinas loca conta-

giosa, cur non ad salutem animæ fugies conversationem cum malis: neque enim est lues tam contagiosa ut mores corrupti, qui facillimè in alteram transfunduntur & adhærescunt: *Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicaverit superbo, induet superbiam*, ait Ecclesiasticus. Monet proinde Apostolus: *Denuntiamus vobis in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre (addo ego, & Sorore) ambulante inordinate, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis.*

Verùm, quod Eustochio commendat Hieronymus: „Sint tibi sociæ, quas & ætas probavit & vita: quæ quotidie in cordibus suis canunt: ubi pascis, ubi cubas in meridie? quæ ex affectu dicunt: cupio dissolvi & esse cum Christo. Illam videat (scil. Paula Eustochium, Læta scribit idem Hieronymus) illam amet, illam primis miretur ab annis, cujus & sermo, & incessus, & habitus doctrina virtutum est. Idem, quod sancti hujus Doctoris, est etiam sacræ Scripturæ consilium: *Secundum virtutem tuam cave te à proximo tuo, & cum sapientibus & prudentibus tracta.* Nota cum sapientibus & prudentibus tracta. Quò autem fructum hujus consilii evidentiùs penetres, revocandum tibi in memoriam, quod de decem Virginibus, quarum quinque fatuæ quinque verò prudentes seu sapientes fuere, effatus est Salvator, scil. fatuas omnes à nuptiis cœlestibus exclusas, sapientum autem sodalitatem ad easdem admissam. Fuge itaque fatuas & adjunges te sapientibus, quæ, quod illæ negligunt, curam olei bonorum operum, sine quo inutilis Virginitatis lampas, suo tibi exemplo persuadeant. *Quin & Fac*

c. 13. vs. 1
2 Theff.
3: 6.

Supra.

Epist. 7.

Ecc. 9: 21.

Matt. 25.

& Fatuas æmulare, quæ licet serò nimis, sapientibus dixerunt: *date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* „ Ad istarum igitur similitudi-

„nem (monet Eusebius Emissenus) si cui nostrum „deest pinguissima gratia humilitatis, si fidei ignis, „si flamma fervoris, si oleum charitatis, si lumen „discretionis: veniat ad eos quos magis abundare

„perspexerit, & gratiam in se proximi non auferen-

„do sed imitando transfundat, & bona possessionis

„alienæ sine damno imò cum lucro possessoris inva-

„dat: nunquam enim tibi deficiet, quicquid alter

„de te proficiet: nunquam enim sensit luminis sui

„damnum plurimus ignis accensus, nec minuit so-

„lis lucem considerantium multitudo, sed quanti ad

„eum prospexerint, tantis munera sua commodat,

„& ipse semper integer permanet. Benedicta Deo

„illa anima, cujus humilitas alterius confundit su-

„perbiam, cujus patientia proximi exstinguit ira-

„cundiam, cujus obedientia pigritiam alterius taci-

„tè increpat, cujus fervor inertiam alieni torporis

„exsuscitat, qui proximi tui turbatum præ irâ ocu-

„lum cordis gratiâ consolationis & ædificationis il-

„luminat. Tales selige, talibus adhære, hæ nam-

„que verè Virgines sunt, in quarum societate Jesum

invenies, *Lilia* enim sunt, inter quæ is *pascitur*, cui

deliciæ sunt esse cum talibus filiabus hominum:

Carbones accensi sunt, à quibus divini amoris ignem

cor tuum concipiet: hîc locum habeat monitum Pau-

linum: *Consideremus in invicem provocationem chari-*

tatis & bonorum operum. „ Sororis tuæ *Probæ*, Gal-

læ (quæ juxta D. Hieronymi phrasin perduto pri-

mo Virginitatis gradu per tertium venerat ad secun-

N 5

dum,

v. 3.

Hom. 7.

inter do-

cem ad

Mona-

chos.

Cant. 2.

16.

Hebr. 10.

v. 24.

Epist. 11.

Epist. 2.
c. 16.

dum, id est, per officium conjugale ad Viduitatis continentiam) præscribit S. Fulgentius: „Tibi præcipue
„ sancta conversatio est in omnibus imitanda
„ hanc tibi tanquam speculum pone, & ex ipsius consideratione, quid tibi jam insit vel quid adhuc desit
„ sanctorum studiorum operumque cognosce:
„ & licet illa egregio præcellat Virginitatis munere
„ comitem te debet in cæteris habere virtutibus.

§. XIV.

De Colloquiis Spiritualibus.

Sodalibus Virgini assignatis superest, ut materiam deputemus Colloquiis, de quo præceptum duplex apud Patres.

Instit.

Virg. c. 1.

Eccles. 3:7

De S. Vir-

ginit. c. 53

UNUM, ut parca in loquendo silentium amet: Non enim mediocris virtus tacere: (habet D. Ambrosius) est enim & tempus tacendi sicut tempus loquendi: Virginitatis itaque dos quædam est verecundia, quæ commendatur silentio: quod & in suis Virginibus collaudat S. Augustinus: „Ecce jam tales estis, ut professæ atque servatæ Virginitati cæteris etiam moribus congruatis: ecce jam non solum homicidiis, sacrificiis Diabolicis & abominationibus, furtis, rapinis, fraudibus, perjuriis, ebriofitibus, omnique luxuria & avaritia, simulationibus, æmulationibus, impietatibus, crudelitatibus abstinetis: verum etiam illa, quæ leviora vel sunt, vel putantur, non inveniuntur nec oriuntur in vobis. Non improbus vultus, non vagi oculi, non infrænis lingua, non petulans risus, non scurrilis jo-

cus

„cus, non indecens habitus, non fluxus incessus:
 „jam non redditis malum pro malo nec maledictum
 „pro maledicto: ecce jam tales estis, quia & tales
 „esse debetis: hæc addita Virginitati angelicam vi-
 „tam hominibus & cœli mores exhibent in terris.
 Hæc Præsul Hypponenſis. Ejusque defectum in
 ſui temporis Virginibus deplorat S. Chryſoſtomus:

Tom. V.

„Semper quidem Virginitas cum conjugio compa-
 „rata primas partes tenuit, nunc autem neque in
 „ſecundo ordine manere potuit, ſed valde procul &
 „planè in ultimum conceſſit ordinem, & quod mul-
 „tò graviùs, non hoſtes neque inimici, ſed ipſæ po-
 „tiſſimùm, quæ illam curare deberent, eam ſic af-
 „fecerunt: & propter quas adverſus Infideles ha-
 „tenuſ liberè loquebamur, illæ ipſæ ora noſtra, ma-
 „ximè obturant & multâ ignominiâ confundunt:
 „Inter Græcos ſanè quidam licèt pauci ita philoſo-
 „phati fuerunt, ut opum eſſent contemptores, &
 „iram vicerunt, Virginitatis autem flos nullo mo-
 „do apud illos floruit, in qua ſemper conceſſerunt
 „nobis primam dignitatem, ingenuè fatentes rem
 „ſupra naturam eſſe & non humanam: & ea prop-
 „ter omnibus gentibus admirationi fuimus, ſed
 „nunc non item, quin potiùs derident & ſales in nos
 „jactant. Et propterea Diabolus contra hanc tur-
 „mam ſpiravit, quoniam vidit in hac potiſſimùm
 „phalange fulgidum Chriſti exercitum, ſicque at-
 „tentavit ipſam confundere, ut poſthac meliùs ſit,
 „ne Virgines quidem eſſe, quæ ita prævaricari at-
 „tentent. Cauſa malorum omnium, quòd perfe-
 „verant adhuc nomen & appellatio rei, & nego-
 „tium totum in corpore ſublatus eſt: quod ſcil.

nomen

nomen extrema Virginitatis pars est: quæ autem, plus necessaria & ipsam magis demonstrant, neglecta sunt, & *nulla ratio habetur* vestium quæ Virginitatem decent, vel *sermonis vel silentii*, vel com-
punctionis vel alicujus id genus. Ita aureum illud, Os. An non eadem hodie querela contra plures posset iterari? contra eas inquam quæ cachinnant & vociferantur, quæ garriunt & fabulantur etiam in plateis & Ecclesiâ, etiam summo manè & in seram vesperam, fortè sollicitæ ne lingua silens muta fiat aut concrecant labia compressa: evidens certè signum est inesse talibus defectum interioris devotionis: etenim vas vacuum altè clarèque sonat, & cum arca seram non habet, vel hinc colligas nullum ibi thesaurum vel quid pretiosum asservari.

- Lubet nihilominus loqui? per me licet, sed tecum loquere: *Nilil æquè proderit quàm quiescere, & minimum cum aliis loqui, & plurimum secum*, notat Seneca: Curiosa es rerum novarum? considera quomodo teipsam innoves, & cum Psalte suspiria: *Spiritum rectum innova in visceribus meis*. Avida es sciendi quid agatur? attende quid agatur in te. Lubet de aliorum vitiis & imperfectionibus fabulari? vide quibus tu subiaceas atque earumdem excidium cogita, dic cum Psalmographo: *Deficiant peccatores a terra & iniqui; ita ut non sint*. De his inquam tecum loquere & per pios affectus ac suspiria loquere cum Deo: votum tuum sit: *Fecundum sit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino*. Ut autem id à te fiat, silentium tibi indicitur, cultus enim justitiæ silentium apud Isaïam, cum is jam ante dixisset: *In silentio & in spe erit fortitudo vestra*. Quod de Regina Vir-

Virginum D. Ambrosius exarat, id & in te locum habeat: „ Neque enim comites foeminas desiderabat, „ quæ bonas comites cogitationes habebat: quin etiã „ tum sibi minùs sola videbatur, cùm sola esset. Etenim *sedebit solitarius & tacebit, quia levavit super se.* L. 2: de Virg. Thren. 3: 28.

ALTERUM, ut non nisi de Deo & pia sint ejus colloquia: utrumque hoc præscriptum copulat Hagiographus: *In sensu sit tibi cogitatus Dei: & omnis enarratio tua in præceptis Altissimi.* Eccl. 9: 23 Nihil aliud novit lingua, Demetriadi, præcipit S. Hieronymus, Epist. 7. *Nisi Christum: Nihil possit sonare, nisi quod sanctum est.* Quo capite idem ille Epist. 99. Paulam commendat, *cujus canticum Psalmi, Sermo Evangelium, deliciæ continentia, vita jejunium.* „ Profectæ annis „ junioribus facite magisterium, minores natu præbete majoribus ministerium, comparibus incitamentum: hortamentis vos mutuis excitate: æmulis de virtute documentis ad gloriam provocate, „ (urget D. Cyprianus). „ Illa tantum loqui Virginem decet, (contestatur S. Basilus,) quæ audientium animos juvare possint, & per sermonis puri veritatem atque rectitudinem ad intelligentiam divinarum rerum ubertim instruere atque exornare: Fluentum quippe sermonis, quod ministerio linguæ ad exteriora deducitur, fontis, ex quo manat, index ac testis est. Deo ergò plenum est cor tuum? cogitas ex præscripto Apostoli, quæ Domini sunt ut sis sancta corpore & spiritu? hæc tuarum cogitationum objecta sunt? certè volupe tibi erit loqui de his, *ex abundantia enim cordis os loquitur.* Luc. 6: 45 Sin autem nullus vel rarus tibi sermo de Deo & rebus piis, non hospitatur is in corde tuo, neque residet

*De Discip.
& Hab.
L. de vera
Virgin.*

- residet ibi verus erga eas affectus: *Loquela tua*, quod
Matt. 26: in domo Caiphæ dictum Petro, *manifestam te facit*,
 73. qualis namque est homo in anima, talem eum, dum
 loquitur, sua lingua, depingit: *Multum enim libenter*
1. Imit. de his, teste Kempensi, *quæ multum diligimus, vobis*
10. n. 1. cupimus, vel quæ nobis contraria sentimus, libet loqui
& cogitare.
1 Cor. 11: Corinthios culpat Apostolus non laudans quod
 17. non in melius, sed in deterius convenirent: fugientes
 huius criminis reatum? sint colloquia & confabu-
 lationes vestræ de Deo, de virtutibus, de Viris
 Sanctorum &c. Modò fiat sermo de *Mortificatione*
Psf. 75: 3. nis necessitate ejusque exercitio, ut enim ait Plal-
 tes *factus est in pace locus Dei, & habitatio ejus in Sion*
Factus est in pace locus ejus, non in anima passionum
 tumultibus obnoxia illicitisque subditâ cupiditati-
 bus, sed quæ mortificationis armis illas compescit &
 hasce excindit: *Et habitatio ejus in Sion*, non in Je-
 richo, non in Babylone: quæcunque itaque anima
 suæ incolam Deum optat, & quæ id non optaret
 debet ea esse pacifica, *Sion* ea esse debet, è qua exu-
2 Reg. 5. lent *Jeboſei*: quomodo autem ii delendi sint, de
 hoc tractent vestri sermones.
L. de Vir- Aliquando fiat collatio *de vilipendio ac contemptu*
ginit. c. 73 rerum terrenarum: „ Quemadmodum Virgo (ex D.
 „ Chrysostomo) quamdiu domi manet apud Ma-
 „ trem, magnam puerilium omnium curam suscipit
 „ & arculâ in penum depositâ, eorum, quæ illic con-
 „ dita sint, & clavem ipsa possidet & arbitrium om-
 „ ne tenet, de levium illorum & futilium custodia
 „ æquè sollicita, ac qui grandem familiam admini-
 „ strant: cæterum desponsa jam ac marita paternas
 aedes

„ædes dimittere coacta, tum verò iis nugis & minu-
 „tiis liberata domus gubernationem, opes & man-
 „cipium numerosum, Viri cultum aliaque his mayo-
 „ra procuret necesse est. Ita & nobis adultis atque
 „ætate virili terrenis omnibus, verè puerilibus ludi-
 „cris omissis, de cœlo cœlestisque vitæ splendore &
 „gloria cogitandum sit: desponsi enim sumus & nos
 „Sponso eum à nobis amorem flagitanti, ut non so-
 „lùm terrestribus & levibus his ac futilibus, sed
 „etiam vitâ propter eum, si opus sit, cedamus. Qua-
 „re, cùm illuc porro discedendum sit, exilem hanc
 „curam à nobis propulsemus: nam nec, in Regnum
 „ex inopi domo transferendi, de fictilibus, lignis,
 „utenfilibus & reliqua domestica tenuitate labore-
 „mus.

Subinde de *cauta Conversatione*: „Nec audiendi *L. de bono*
 „sunt sive viri sancti sive foeminæ, denuntiat S. Au- *Viduit.*
 „gustinus, (cùm jam præmisisset: in omnibus sanè *c. 22.*
 „spiritualibus deliciis, quibus fruuntur innuptæ,
 „sancta earum conversatio cauta etiam debet esse, ne
 „fortè, cùm mala vita non sit per lasciviam, mala sit
 „fama per negligentiam) quando reprehensa in ali-
 „quo negligentia sua, per quam fit ut in malam ve-
 „niant suspensionem, unde suam vitam longè ab-
 „esse sciunt, dicunt sibi coram Deo sufficere con-
 „scientiam, existimationem hominum non impru-
 „denter solùm, verùm etiam crudeliter contemnen-
 „tes, cùm occidunt animas aliorum sive blasphe-
 „mantium viam Dei, quibus secundùm suam suspi-
 „cionem quasi turpis quæ casta est displicet vita
 „Sanctorum, sive etiam cum excusatione imitan-
 „tium non quod vident sed quod putant. Proinde
 quis-

quisquis à criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit sibi benè facit, quisquis autem etiam famam & in alios misericors est. Nobis enim est necessaria vita nostra, aliis fama nostra: & utique etiam quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem, unde non frustra Apostolus: *Providemus, inquit, bona non solum coram Deo, verum etiam coram hominibus.*

Modò de gratia *Vocationis* vestræ ad Statum Virginealem: „Virginem sacram te sibi munere gratuito fecit, qui omnia, quæcunque voluit, fecit, à quo ideò gratia nullis præcedentibus meritis datur, ut illi semper gratiarum actio purâ cordis humilitate reddatur: hic est autem unigenitus Dei filius, unigenitus etiam Virginis filius, unus omnium sacram Virginum Sponsus, sanctæ Virginitatis fructus, decus & munus, quem corporaliter sancta Virginitas peperit, cui spiritualiter sancta Virginitas nubit, à quo sancta Virginitas fœcundatur ut perseveret intacta, à quo decoratur ut permaneat pulchra, à quo coronatur ut regnet perenniter gloriosa, scribit S. Fulgentius. „Magna res est Virginitas & cœlibatus (habet D. Gregorius Nazianzenus) atque in Angelorum naturæque singularis ordine censeari: vereor enim dicere Christi, qui, cùm propter nos genitos gignendus esset, ex Virgine gignitur Virginitatem velut latâ lege sanciens ut hinc abducentem ac mundum contrahentem, vel potiùs mundum ad mundum transmittentem, præsentem nimirum ad futurum. „Habeant conjugia bonum suum, non quia filios procreant,

*Epist. 3. ad
Proban
c. 4.
Tom. I.
Orat. 20.*

„creant, sed quia honestè, quia licitè, quia pudicè, quia socialiter procreant, & procreatos pariter, salubriter, instanter educant, quia thori fidem invicem servant, quia Sacramentum Connubii non violant, (notat D. Augustinus) hæc tamen omnia humani officii sunt munera. Virginalis autem integritas & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas Angelica portio est, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis, illa non est in potestate, illa non est in æternitate: fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium, pudicitiam conjugalem non habet cœlum. Selectas vos in hoc vitæ genus grato animo agnoscite, eumque mutuæ confabulationes prodant: „Hæc est uberior (gratulans iis de Demetriadis virginitate nobilibus Viduis Probæ & Julianæ scribit idem S. Augustinus, quæ generosiùs elegerat Anicianam illustrem familiam beare nuptias nesciendo, quàm multiplicare pariendo; & in carne jam imitari vitam Angelorum, quàm ex carne adhuc numerum augere mortalium) fœcundior, que felicitas non ventre gravescere, sed mente grandescere; non lactescere pectore, sed corde candescere: non visceribus terram, sed cœlum orationibus parturire.

Quandoque habeatur sermo, cur non præcepto, sed consilio præscripta sit continentia: „Si Virginitatem Dominus imperasset (contra Jovinianum argumentatur S. Hieronymus) videbatur Nuptias condemnare & hominum auferre Seminarium unde & ipsa Virginitas nascitur. Si præcidisset radicem,

De S. Virginit. c. 12
§ 13.

Epist. 179

Lib. I. c. 7.

dicem, quomodo fruges quæreretur? nisi ante fundamentum jecisset, quâ ratione ædificium extrueretur & operturum cuncta desuper culmen imponeretur? multo labore fossorum subvertuntur montes, terrarum penè interna penetrantur, ut inveniatur aurum: cùmque de granis minutissimis prius confusione fornacis deinde callidâ artificis manu fuerit monile compactum, non ille beatus vocatus qui de luto excrevit aurum, sed qui auri utitur pulchritudine. Noli igitur admirari si inter titillationem carnis, & incentiva vitiorum Angelorum vitam non exigimur sed docemur; quia ubi consilium datur, offerentis arbitrium est, ubi præceptum, necessitas est servientis: *Præceptum*, inquit, *Dominus non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino.* „ Dominus nusquam de Virginitate leges tulit, (habet D. Basilus) permittit tamen, ut, sicut ab incorruptione ad corruptionem præter naturam immoderatâ potestate utens homo defluerat, ita rursus à corruptione ad incorruptionem naturam suam præstantiori voluntate vim sibi inferendo proveheret. Quo & ipse suo nos provocat exemplo. Porro quod incorruptibilis vitæ semen è terris ad cælum transferendum singulari gloriâ Virginitatem Dominus noster esse voluerit (elegantissimè deducit idem ille Hierarcha) & incorruptionis honestati per integerrimam castitatem corpora nostra confuescere, ex eo in primis constat, quòd, cùm Legi in omnibus obtemperaverit, solum conjugium renuit. Oportebat enim, ut, qui ex intemerata Virgine incorruptus etiam secundum carnem natus

1 Cor. 7:

25.

L. de Virginitat.

Ibid.

„tus erat, nec conjugii quidem corpoream experi-
 „retur corruptionem: cœterum à corruptis per ju-
 „galem copulam naturali integritati nostræ incre-
 „menta suppeditans, quemadmodum Adam præ-
 „sentis vitæ semen per Conjugii voluptatem fuerat,
 „ita & ipse semen futuri seculi per Virginitatis fieret
 „integritatem, ut, sicut illum per matrimonium se-
 „rentem humanum genus hominem in terrena vita
 „secuti sumus, ita & Dominum per virginalem pu-
 „ritatem futurum seculum ferentem prudenter se-
 „queremur. Quòd si non otiosè Paradisum primi-
 „que Adam in eo conspicias vitam, invenies pro-
 „fectò illum adhuc in Paradiso constitutum opus
 „non habuisse cognoscere uxorem suam, post præ-
 „varicationem verò mortisque sententiam, post
 „Paradisi amissionem tunc jam uxorem cognovit
 „suam, ut vitæ postea mortalitatem, prolis successio-
 „ne solaretur. At Virgo eum, qui ad Paradisum re-
 „vehit, sequens, in illo & cum illo inter Paradisi de-
 „licias æternâ amœnitate incorrupta lætatur, male-
 „dictum illud effugiens quo extra Paradisum con-
 „stitutæ mulieri dictum est in doloribus paries fi-
 „lios, &c.

Nonnunquam instituatur colloquiū *de oneribus Vir-*
ginitati annexis, quæ ex ejus etymologiâ eleganter de-
 ducit S. Fulgentius: „Integritas carnis Deo fideliter *Supra c. 7.*
 „consecrata, & in cordis virginitate Deo juvante &
 „protegente servata idcirco propriè Virginitas dici-
 „tur, ut ibi perfectio veræ virtutis inesse monstretur:
 „melior est igitur cæteris actualibus donis intemera-
 „ta sanctitas virginalis, quæ divini gratiâ mune-
 „ris virtute videtur originem vocabuli trahere,

Epist. 142.

re, ut ex ipso nomine semper se admoneri cogno-
 scat ea, que virtutis sunt, debere servare. Et ex alio,
 capite apud S. Augustinum Autor epistolæ ad De-
 metriadem: „Seculi Virgines, quæ se nuptiis præ-
 parant & indulgentiam magis Apostoli, quàm con-
 filium sequi malunt, magisque amplectuntur, in-
 continentia remedium quàm præmium continen-
 tia, ut sponsis placeant, eosque in amorem sui ma-
 gis incitent, mirâ se solitudine formare student,
 & naturalem corporis pulchritudinem ornandi arte,
 commendant: hæc est illis per dies singulos cura,
 præcipua decentibus fucis colorare faciem, impli-
 care auro crinem, & ardentes concharum lapides
 capitis honorem facere, suspendere ex auribus pa-
 trimonia, brachia ornare monilibus ac latera, & in-
 clusas auro gemmas è collo in pectus demittere:
 non minorem Sponsus tuus requirit ornatum, qui
 cum universam Ecclesiam salutaris aquæ lavacro
 purificatam sine macula rugaque reddiderit, quo-
 tidie cupit eam fieri pulchriorem, ut semel à vitiis
 peccatisque mundata semper ornatur decore vir-
 tutum: & si hoc à tota requirit Ecclesia, in qua &
 Viduæ continentur & nuptæ, quantum putas ex-
 spectat à Virgine, quæ ex pulcherrimo hoc quo-
 dam Ecclesiæ prato, velut augustior quidam flos
 videtur electa? assume ergo omnem illum ornatum
 per quem placere Christo potes ... multi in hoc
 proposito senescimus, & ea, propter quæ ad ipsum
 propositum venimus, non habemus: tua verò
 conversatio nova esse debet, mira gravitas; patien-
 tia, mansuetudo, pietas: quicquid sanctius est at-
 que perfectius, quicquid magis Deo te commen-
 dare

„dare potest & maiorem in Cœlo facere, id semper
 „sequere, id semper amplectere: Sponsâ Christi nihil
 „debet esse ornatiùs: tantò maiore placendi studio
 „opus est, quantò maior est ille, cui placendum est.

Aliàs de Meditatione: „Ideò ab aliis curis
 „atque negotiis (scribit S. Augustinus) quibus *Epist. 121*
 „ipsum desiderium (scil. beatæ vitæ) quodammo- *ad Pro-*
 „do tepescit, certis horis ad negotium orandi men- *bam de*
 „tem revocamus, verbis orationis nos ipsos admo- *modo o-*
 „nentes in id, quod desideramus, intendere, ne, *randi.*
 „quod tepescere cœperat, omninò frigescat &
 „penitus extingatur, nisi crebriùs inflammetur.

Aliàs de Humilitate, quam *ditissimam* inscri-
 bit D. Aug. Lib. de Virgin. c. 31. „Nolo tibi
 „(Eustochio præcipit S. Hieronymus) venire su- *Epist. 22.*
 „perbiam de proposito, sed timorem: onusta ince-
 „dis auro, latro tibi vitandus est. De ejus cum Vir-
 ginitate copula multis agit S. Augustinus, Ambro- *L. de San-*
 sius, & præter alios totâ Epistolâ ad Probam D. Ful- *ctâ Virgin.*
 gentius: est talis (inquiens inter cætera) utriusque *Epist. 84.*
 virtutis copula, ut in præsentî vitâ ipsa sit omnium *c. 2.*
 perfectio culmenque virtutum: quia nec in corpore *Vide c. 9.*
 est aliquid integritate melius, nec in anima est aliquid *15. & 18.*
 fidei humilitate sublimius. Qui & eandem vo- *c. 23.*
 cat Virginitatis internam Virginitatem. „Pulchra
 „permixtio Humilitatis & Virginitatis, nec me-
 „diocriter placet Deo illa anima, in qua & Humi-
 „litas commendat Virginitatem, & Virginitas ex-
 ornat Humilitatem, commentatur in hæc Evangelii
 verba: *Missus est Angelus Gabriël à Deo ad Virgi-* *Luc. 1:27.*
nem desponsatam Viro, &c. Mellifluis Burgundio. *Hom. 1.*
 „Audis Virginem, audis Humilem, si non potes Vir- *super Mis-*
 gini- *sus.*

ginitatem Humilis, imitare Humilitatem Virginis. „
 Laudabilis virtus Virginitas, sed magis necessaria „
 Humilitas: illa consulitur, ista præcipitur: ad il- „
 lam invitari, ad istam cogeri: de illa dicitur: *Qui „*
potest capere capiat, de ista dicitur: *Nisi quis efficia- „*
tur sicut parvulus iste, non intrabit in Regnum Cæ- „
lorum: illa ergò remuneratur, ista exigitur. Potes „
 denique sine Virginitate salvari, sine Humilitate „
 non potes: Potest inquam placere Humilitas, quæ „
 Virginitatem deplorat amissam, sine Humilitate „
 autem audeo dicere nec Virginitas Mariæ placuisse „
 set. Super quem inquit requiescet Spiritus meus „
 nisi super humilem & quietam: super humilem „
 dixit, non super Virginem. Si igitur Maria humi- „
 lis non esset super eam Spiritus Sanctus non re- „
 quievisset. Si super eam non requievisset nec „
 imprægnasset, quomodo enim de ipso sine ipso „
 conciperet? patet itaque, quia de Spiritu San- „
 cto concepit, sicut ipsa perhibet, respexit Hu- „
 militatem Ancillæ suæ Deus potius quàm Virgini- „
 tatem, etsi placuit ex Virginitate, tamen ex Humi- „
 litate concepit, unde constat quia etiam, ut place- „
 ret Virginitas, Humilitas proculdubio fecit. Quid „
 dicis Virgo superbe? Maria Virginem se oblita glo- „
 riatur de humilitate, & tu negligendo humilita- „
 tatem blandiris tibi de Virginitate. Respexit, ait il- „
 la, humilitatem Ancillæ suæ. Quæ illa, Virgo „
 utique sancta, Virgo sobria, Virgo devota „
 Numquid tu castior illâ? numquid devotior? aut „
 numquid tua fortè pudicitia gratior castitate Ma- „
 riæ, ut tu scilicet sine humilitate placere sufficias ex „
 tua, quod illa non potuit ex sua? Denique quan- „
 to

„tò honorabilior es ex singulari munere castimoniæ
 „tantò tibi tu majorem injuriam facis, quòd ejus in
 „te decorem fœdas permixtione superbiæ, alioquin
 „expedit tibi Virginem non esse quàm de Virgini-
 „tate inolescere. Non omnium quidem est Virgi-
 „nitas, multò tamen pauciorum est cum Virginitate
 „Humilitas. Si igitur Virginitatem in Maria non
 „potes nisi mirari, stude Humilitatem imitari,
 „& sufficit tibi: quòd si & Virgo & Humilis es,
 „quisquis es magnus es. Hactenus S. Abbas Virgo
 „& Humilis. Instat idcirco Antistes Hypponenfis: *L. de Virg.*
Pergite Virgines Dei viâ sublimitatis pede humi- *c. 52.*
litis.

„Non omittatur necessitas Perseverantiæ Virgi-
 „nalis: igitur Conjuges admodum commodè habet
 „(scil. Apostolus) qui nec altero volente eos mutuâ
 „consuetudine defraudet, nec defraudationem ex
 „consensu longiùs producat, quin alteras etiam Nu-
 „ptias permittit, si velint, ne ardeant. At Virginibus
 „nullum hujusmodi solatium præbet, sed illos tan-
 „tisper suspensos iterum recreat, hanc nec minimum
 „respirantem, sed assiduè pugnantem finit perpetuò
 „stare, ac libidinibus verberari, nec vel tantillis in-
 „duciis frui. Cur enim non huic etiam dixit: Si se
 „non continet nubat? quod nec Athletæ dicat quis-
 „quam, postquam derepto amictu ac delibutus in
 „stadium processit seque pulvere consperfit: abi,
 „fuge adversarium: sed jam porrò necessum sit duo-
 „rum alterum aut coronatum aut dejectum & infamem
 „discedere: nam in ludo ac palæstra, ubi cum
 „familiaribus exercitium sit, & cum amicis velut
 „cum adversariis manum conseras, liberum sit &

fufcipere laborem & non fufcipere. At qui jam nomen dedit coacto frequenti populo, præfente Agnotheta, fedentibus fpectatoribus, adducto atque objecto adverfario ei certaminum lex facultatem eripiat. Ad eundem modum & Virgini, dum confultet prius nubendum fit nec ne, tutum matrimonium fit: at, ubi dilegit ac conſcripta eſt, ſe in ſtadium dedit. Ecquis igitur, indictis ſpectaculis, Chriſto certaminis Magiſtro, Angelis ſupernè ſpectantibus, ſuſtine-
rente Diabolo ac fremente ad luctamque conſerto, & medio comprehenſo in medium profiliens edicere auſit: hoſtem fugiat, laboribus ſuperſedeat, comprehenſionem omittat, ne deſiciat, ac proſternat adverſarium, ſed ei victoriam cedat. Et quid Virgines dico? cùm nec Viduas iis verbis affari fas ſit, ſed illorum loco his terrificis: poſtquam repudiato Chriſto laſcivire cœperint, nubere volunt, damnandæ quæ primam fidem ſefellerint. Haſce

L. de Vir-
gin. c. 38.

L. de Bo-
no Conjug.
c. 23.

1 Cor. 7:8,

38. & 40.
Epist. 22.
c. 13.

mus: Quod ſi aliquā ſenſeris infirmiore in fide, ſuſcipe,
conſolare, blandire & pudicitiam illius fac lucrum tuum.

In Pſal.
103.

Atque aliàs de materiâ aliâ, colloquantur quam ſuppeditabit vel Liber aſceticus, vel Meditatio, vel Concio: hæc namque tria Venæ, Aurifodinae & Promptuaria ſunt piorum diſcurſuum. De Concione quidem index eſt S. Auguſtinus, unusquique, ut poteſt, recordetur quod audi-
vit: Collocutionem invicem ructate: Saginam ve-
ſtram

„fram ruminare: quod accepistis, non eat in viscera
 „oblivionis vestræ: thesaurus desiderabilis requiescat
 „in ore vestro. De Lectione autem & Meditatione
 Autor præcit: Epistolæ ad Demetriadem: „ Ad- *Apud S.*
 „hibe tibi in urbe solitudinem, & remota paulisper *Aug.*
 „ab omnibus propius Deo jungere, *aspectuique tuo- Epist. 14.*
 „rum reddita lectionis fructum & orationis ostende:
 „nihil enim in hoc secreto magis agere debes, quàm
 „animam divinis eloquiis pascere, & quantum ei
 „per totam sufficere possit diem, hoc eam veluti cibo
 „pinguiore satiare.

Ratio autem cur hæ collocutiones suadeantur
 manifesta est, quia ut, Apostolo teste, *corrumpunt 1 Cor. 15:*
mores bonos colloquia prava, sic è contrariò ad opti- 33.
 mos pia provocant, imò & eum advocant, qui dixit:
Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum Matt. 18:
in medio eorum. Patuit id in peregrinis Emaunticis, 20.
 qui *dum fabularentur & secum quærerent, & ipse Je- Luc. 24:*
sus appropinquans ibat cum illis. En fructum, iisdem *v. 15.*
 testibus: *& dixerunt ad invicem: nonne cor nostrum Ibid. vs.*
ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret 32.
nobis scripturas? Iterum, dum iidem hi regressi in
 Jerusalem narrarent hæc Apostolis, *stetit Jesus in Ibid. v. 36*
medio eorum, & dicit eis pax vobis, non enim con-
 scientiæ turbas proritant hæc colloquia, ut vana &
 detractoria: sed animi tranquillitatem promovent,
 quæ ex sola oritur vitiorum victoria, & vera ejus cum
 divina voluntate concordia. „Ex divinis colloquiis
 „(inquit Kempensis in Sermonibus ad Novitios) *Serm. 4.*
 „nascitur amor Dei, ædificatio proximi, odium
 „mundi, desiderium regni cœlestis, dolor de pec-
 „catis, fervor charitatis, refrœnatio cupiditatis, &

renovatio totius interioris hominis. Quare, si lo-
 1 Imit. 10. qui licet & expedit (habet idem) quæ ædificabilia
 7. 2. sunt loquere: malus usus & negligentia profectus
 nostri multum facit ad incustodiam oris nostri: ju-
 vat tamen non parum ad profectum spirituales,
 devota spiritualium rerum collatio, maximè ubi
 pares animo & spiritu in Deo sibi sociantur.

1 Thess. 5: Finio itaque cum Apostolo: *ædificate alterutrum*
 11. ut & de vobis in veritate possit dici, quod hîc ille
 subnectit: *sicut & facitis*. Ideoque *omnis sermo ma-*
lus ex ore vestro non procedat, sed si quis, bonus ad æ-

Ephes. 4: *dificationem fidei, ut det gratiam audientibus*. *Æmu-*
 29. *lemini sponsum vestrum, cujus colloquia omnia*
 & singula prope verba audientium fuere documen-
 ta teste Evangelio.

§. XV.

De Custodia Castitatis.

U M Virginem instruunt duplici eam titule
 Patres compellant, Christi scil. *Ancillæ* & *Sponsæ*:
Ancillæ quidem, quo ei fervidum indicant fa-
 mulatum: *Sponsæ* autem, quo sollicitam pudicitia
 custodiam demandent: hanc utriusque etymolo-
 giam elegantissimâ Apostrophe illustrat D. Fulgen-
 tius. „Attende in te Sponsi tui amorem, considera
 Domini pietatem: pius est Dominus qui te sibi
 Epist. 3. fecit Ancillam, speciosus Sponsus qui te castificavit.
 ad Pro- Sponsam: idem tamen, quia verus est Dominus &
 bam c. 19. Sponsus est verus, utriusque potestatis partes ex-
 quitur: exigit de Ancilla humilem servitutem, in
 Sponsa

„Sponsa quærit integram castitatem. Servi ergo Do-
 „mino cum timore & exulta Sponso cum tremore :
 „nam, quia Dominus est, territat, &, quia Sponsus
 „est, zelat : timens igitur custodi Domini terrentis
 „imperium, & tremens dilige Sponsi zelantis affe-
 „ctum : in Ancilla Domini nihil suum prædo repe-
 „riat, in Sponsa Christi nihil suum adulter agnoscat:
 qua de causa Virgines *indefessas milites Castitatis* in-
 scribit D. Ambrosius. Est autem trinum Militis of-
 ficiū.

L. 1. de
Virg.

U N U M advigilando hostium insidiis Arcem vel
 Oppidum tueri, quod & Virginis est, quæ castitati
 militat juxta D. Ambrosii *φερίων* : ideoque conti-
 nuis vigiliis intenta excubabit ad sensus (animæ por-
 tas) ne quicquam irrepat, quod pudicitiae insidie-
 tur : „Per quinque Sensus quasi per quasdam fene-
 „stras vitiorum ad animam introitus est : non potest
 „ante metropolis & arx mentis capi, nisi per portas
 „eius irruerit hostilis exercitus, ex illo Jeremiæ : c. 9. v. 21.
 „*Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos*
 „*nostras*, deducit S. Hieronymus. Periit Isboeth, L. 2. con-
 eò quod *Ostiaria domus purgans triticum* obdormi-
 verat : ingressi namque duo Latrunculi dormientis
 caput præciderunt. Quod ergo Apostolus suo Ti-
 motheo *te ipsum castum custodi* : idem & sibi Virgo ar-
 roget, & ut præstet, vigiles ad Portas Sensuum ex-
 cubias fervet : manus ad contactus illicitos non ex-
 tendat per hos enim irrepat impudicitia : *Etiam na-*
turalis flamma carnis accenditur, inquit D. Bernar-
 dus, *si illicita attingit*. Hera Josephi ejus pudicitiam
 expugnatura apprehendit laciniam vestimenti ejus.
 Odores aversetur ut corruptores animi, at, si eos
 amet, 12.

Supra.

c. 9. v. 21.

L. 2. con-

tra Jo-

vin. c. 4.

2 Reg. 4:5.

vers. 7.

1 Timoth.

5: 22.

Tract. de

modo vi-

vendi

Serm. 58.

Gen. 39.

amet, 12.

- 2 Cor. 2: amet, cum Apostolo Christi bonus odor sit Do-
 15. Sobrietatem sectetur: *Abstinentia* (ex D. Athanasio in Exhort. ad Monachos) *Continentia nutritrix, quae facilius possibilitatis frænos patitur, si non deliciarum calcaribus incitetur.* „Quia gulæ deditos luxuria sequitur (ex S. Gregorio) Propheta testatur, qui dum aperta narrat, occulta denuntiat dicens: Princeps cocorum destruxit muros Hierusalem. Princeps namque cocorum venter est, cui magna cura obsequium à cocis impenditur, ut ipse delectabiliter cibis impleatur: muri autem Hierusalem virtutes sunt animæ ad desiderium supernæ pacis elevatæ. Cocorum igitur Princeps muros Hierusalem dejicit, quia dum venter in gluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruantur. Aures obstruat ne impudica audiant, Oculos cohibeat ne, quod natum sit inhonestas imagines oggerere, conspiciant. „Cautæ sint Virgines (monet D. Bernardus) sicut sunt castæ: fenestras oculorum & aurium suarum discant obfervare, vultus abscondere, ne sibi videndo vel audiendo, quod fortè non expedit, mortem assecerint. Si occurras homini, præcipit D. Athanasius fac convelatâ & cernua esto, neque attollas ulli vultum nisi duntaxat Deo tuo. *Oculus meus*, dicit quidam, *datus est animam meam*: Et de formidabili Holoferne Sandalia ejus (scil. Judith) *rapuerunt oculos ejus, pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus, amputavit pugione cervicem ejus*. Idq; tanti fecere Patres, ut impudicos oculos animi pudici indices statuunt. „Angelorum vitam elegisti, in eorum ordinem te aggregasti, qui jugum nesciunt (post Virginitatis præconjugio
- Tract. de Passione Domini*
 6. 28.
- L. de Virginit.*
- Ibren. 3:*
 51.
- Judith.*
 16: 11.
- Tom. 1.*
Orat. 31.

„jugio prærogativam ait D. Nazianzenus) ne in car-
 „nem prolaboris, ne in materiam dejiciaris, ne cum
 „materia matrimonio jungaris: etiamsi alioqui in
 „coelibatu perstes, oculus lascivus & impudicus Vir-
 „ginitatem minimè servat: lingua impudica Dia-
 „bolo miscetur: pedes temerè gradientes morbum
 „accusant aut morbo moventur. *Nec dicatis vos ha-*
bere animos pudicos, in Regula Monacharum oppo-
 nit D. Augustinus, *si habeatis oculos impudicos, quia* Epist. 109
impudicus oculus impudici cordis est nuntius: quos
 proinde *oculos plenos adulterii appellat* Apostolus. 2 Pet. 2:

Quâ sensuum custodiam indicunt Virgini, eadem 14.
 cautelâ eidem inhihent omnem cum sexu dispari fa-
 miliaritatem: „Ne oculus oculum trahat (ex S. Na- *Supra.*
 „zianz.) ne risus risum: ne familiaritas noctem: ne nox
 „interitum & exitium: nam quod paulatim attrahi-
 „tur ac tanquam surripitur, tametsi eam rationem
 „habeat, ut damnum in præsentî minimè sentiatur,
 „tamen in vitii summam incurrit. Liberanda est vi-
 „gilanter, (Pomponio rescribit D. Cyprianus Epi-
 „stola 62) de periculosis locis navis, ne inter scopu-
 „los & saxa frangatur. Exuenda est velociter de in-
 „cendio sarcina, priusquam flammis supervenien-
 „tibus concremetur. Nemo diu tutus est periculo
 „proximus, nec evadere diabolus Servus Dei po-
 „terit, qui se Diaboli laqueis implicavit: interce-
 „dendum est cito talibus, ut separentur, dum adhuc
 „separari innocentes possunt, quia dividi postmo-
 „dum nostrâ intercessione non poterunt postea-
 „quam conscientîâ gravissimâ cohæserint. Denique
 „quam graves multorum ruinas hinc fieri videmus,
 „& per hujusmodi illicitas & periculosas conjun-
 ctiones

*De modo
vivend.*

Serm. 58.

2 Timoth.

2: 3.

Judith.

4: 6.

Serm.

quod Re-

gulares

fræminæ

viris co-

habitent.

L. de In-

stit. Vir-

gin. c. 9.

Supra

Serm. cit.

etiones corrumpi plurimas Virgines cum summo
animi nostri dolore conspiciamus! Sæpe (juxta D.
Bernardum) familiaritas vincit quos vitium supe-
rare non potuit: sæpe occasio peccandi voluntatem
fecit & facit: quos voluptas superare non potuit,
assiduitas superat: dispar sexus in unum collatus,
illuc provocat instinctum carnis quo nascitur. La-
bora sicut bonus miles Christi Jesu, Timotheo
suggerit Apostolus, qualem & tu te exhibeas que
Virginitati militas: Eliachim æmulare, qui iussu
ut obtinerent ascensus montium, per quos via esse po-
terat ad Jerusalem; & illic custodirent, ubi angustius
iter esse poterat inter montes. Omnibus te juxta
D. Chrysostomi præscriptum aurum fulgidum præ-
beas & ignitum, quod, quia tale, nemo audeat con-
tingere: verbo, ut loquar cum Magno Gregorio
in Arce te serves Castitatis. Hortus clausus es filia,
quæ est vox Ambrosiana, nemo auferat sepem tui pa-
doris.

ALTERUM Militis officium est (in quo ser-
fidelitatis & fortitudinis specimen edit) repellens
hostem aggredientem: aperto Marte pudicitiam op-
pugnat luxuria, dum quis te ad impudica sollicita-
tanquam ejus emissarius miles, vel dum turpes & ob-
scenas cogitationes impuraque phantasmata in ani-
mum immittit. Ignei ea sunt globi, quibus libidi-
nis incendium molitur: assultus sunt, quibus
continentia triumphum attentat. At, quæ Casti-
tis miles est, illos, ac primum in sinum cordis illu-
buntur, exstinguat, & hos scuto timoris Domini
repellat. „Non consentias illi, (urget D. Bernardus)
non finas malam cogitationem manere in cor-
de

„ de tuo, quacunque horâ mala cogitatio venerit, ex-
 „ pelle eam : quàm citò apparuerit scorpio , contere
 „ caput ejus : contere caput serpentis , id est , malæ
 „ cogitationis : ibi emenda culpam ubi nascitur scil.
 „ in corde : caput cogitationis pravæ expelle à cor-
 „ de tuo : ibi pecca , ubi nescis esse Deum : ni-
 „ hil enim celatur ante Deum , videt occulta , qui
 „ fecit abscondita , Deus ubique præsens est.
 Quot hîc negligentes , quotquot hîc sunt inermes
 (& sunt omnes illæ , quæ etiam morosè inhærent his-
 ce objectis) colludunt eæ cum hoste , imò à signis
 Castitatis ad Castra transfugiunt Luxuriæ , seu potius
 (quæ summa infidelitatis infamia) ei in selocum
 cedunt , & de hoste Dominum efficiunt. Nonnullæ
 „ quippe sunt Virgines carne non spiritu , scribit
 „ D. Hieronymus , quarum corpus integrum est & *L. 1. ad-*
 „ anima corrupta : sed illa Virginitas hostia Christi *versus*
 „ est , cujus nec mentem cogitatio nec carnem libi- *For. n.*
 „ do maculavit. Qualis ut & tu sis , juxta D. Greg. *c. 7.*
 Nazianzeni consilium *inaccessibilem teipsam custo-* *Supra.*
di : Sin autem obruaris , aggressores quantociùs
 repelle : tene & allide Babylonios. parvulus ad pe- *Psal. 136.*
 „ tram. „ Virginitatem quoque animus ipse colat *vs. 9.*
 „ (urget ibid. supra D. Nazianz.) ne vagetur, ne ob-
 „ erret , ne meretriciarum rerum formas in seipso
 „ ferat (nam libidinis quoque pars impressa in animo
 „ forma est) ne odio infectanda rerum simulachra in
 „ anima effingat. „ Non ignoro (Theodoro Cœlibi,
 „ in vitium carnis lapso exarat D. Chrysostomus ,) *Epist. 6.*
 „ quòd inferiorem te fecerit contra inimici confli-
 „ ctum cessatio dimicandi , scio quòd in medio ver-
 „ feris incendio secularium voluptatum, sed si adver-
 sario

fario dictum velis non serviemus oblectationibus
 tuis, nec radicem adoramus omnium malorum :
 si sustuleris ad cœlum oculos, mox caliginem Do-
 minus tetri ignis excutiet, & eos quidem, qui te
 ad incendium compulerunt, concremabit, te au-
 tem in medio fornacis constitutum resperget rore
 nebularum & sibilantis auræ spiritu æstuantia tibi
 corda mulcebit, ita ut nec ad cogitationes, nec ad
 conscientiam tuam vis ignis accedat, tantum ne re-
 quiescere segnior velis & spontè vincaris : nam &
 munitissimas civitatum, cum sæpè omnia ob-
 fidentium tela vicissent, omnium expugnationum
 genera vitassent, unius tantum vel alterius civium
 interiùs commanentium occulta proditio sine ullo
 repente certamine capi fecit : & nunc cave, ne qua
 in sensibus tuis cogitatio proditionis tibi machi-
 nam moliatur innumeris artibus. Licet longi tem-
 poris expugnatione murorum utatur inimicus in-
 cassum cuncta tentabit. Ei inquam te oppone, non
 resistendo sed ad alia cogitationes divertendo : fu-
 ga, quæ in prælio turpis, hîc optima est resistenti-
 hæc fuga fugatio est : *Fugite fornicationem.* Qui
 cogitationes suas ita refrænare potest, ut non qua-
 libet immunditiâ titilletur ? sed continuò (docu-
 mentum est D. Bernardi) talium cogitationum in-
 sultus sunt reprimendi, ut, unde sperabat se hostis
 vincere, per hoc magis victus abscedat : quod fit
 quoties pravis & immundis cogitationibus attracti
 statim ad signum Crucis, ad Passionis dominicæ re-
 cordationem & lachrymarum subsidia confugi-
 mus, & suo telo in bello fortes effecti hostem fe-
 rimus. Non cedit resistenti ? nil nocet : oppugnet
 dum

1 Cor. 6.

18.

Supra c.

18.

dummodo non expugnet : Arcem oppugnari minime indecorum , sed gloriosum non expugnari : intueri virgineum Joseph , diu quidem & fortiter impugnatum , sed cum gloria victorem : *Et mulier, luxuriae stipendiaria, per singulos dies molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum* , habet sacer textus. Sit & tua fortitudo insuperabilis , indefessam te praebeas militem castitatis : *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit.*

Gen. 39:

10.

Psal. 90:

7.

ULTIMUM militis officium est non modò resistere hosti aggredienti , sed eundem invadere : non habere se solum defensivè , sed & offensivè , ut scilicet eum devincat ac ex iniqua possessione deturbet : pateris in te Luxuriae tyrannum ? tuâ conniventia aut etiam iniquissimâ benevolentia pedem aliquando in te defixit ? expugna eum & subijce : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediat concupiscentiis ejus.* Concupiscat caro adversus spiritum, sed non praevaleat ac praedominetur, verum spiritu facta carnis mortifica : „ Inter omnia Christianorum pia certamina (habet D. Augustinus) „ sola duriora sunt praelia castitatis , ubi quotidiana „ pugna & rara victoria : gravem castitas sortita est inimicum ; fortiatur eadem & te strenuam propugnatricem.

Rom. 6:

12.

Gal. 5: 7.

Rom. 8:

13.

Serm. 250

de temp.

§. XVI.

De Subsidiis Castitatis.

Virginem Ambrosio dictam indefessam Castitatis Militem , & à nobis §. superiori ad militiam

P

edo-

ēdoctam, nunc armis instruemus: quid namque finis his miles?

- Primum* autem & omnium maximè necessarium est ORATIO, quæ protectionem & auxilium Dei manus impleret, *Nisi enim Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Ideoque suppetiæ ejus per illam advocandæ: dicat ergo:
- Psal. 12. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus prævalui adversus eum.* Est quidem in omni animæ conflictu ea necessaria suggerente Agonothetâ nostro: *Vigilate & orate ut non intretis in tentationem*, sed maximè in propugnanda castitate: ideoque ab exercitatis in hoc bello semper frequentata: *Sci vi quoniam aliter non possem esse continens*, (& hoc ipsum erat sapientiæ scire, cujus esset hoc donum) *adii Dominum*, inquit Sapiens, & *deprecatus sum illum.* Ne magnitudo revelationum extollat me, *datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanae, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me*, scribit illud Vas Electionis 7, 8, 9. & *dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus infirmitate perficitur.* Ex quo D. Augustinus De Bono Viduitatis 6. 23. „Orate vigilanter atque ferventer, ut adjutorio dei teræ excelsi & abundantia misericordissimæ gratiæ Domini, & perseveretis in eo quod estis, & proficiatis ad id quod eritis. S. Chrysostomus (qui ad vobis Orationem Virginitatis sigillum & castitatis nomen inscripsit) etiam ad Virginem Deiparam ter mittit, à cujus suffragio multa tibi pollicetur: „Quæcunque estis Virgines ad matrem Domini confugite: te: illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem patrocínio suo vobis conservabit.

Secundum & æquè necessarium **FAMILIARITAS CUM DEO**, quam promovet jugis memoria præsentiae divinæ & piæ ad eum aspirationes: *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua*, ait David: eni *Psalm. 62: 9, 10.*
fructum: ipsi verò in vanū quæsierunt animam meam.
Lectulum Salomonis, habent Cantica, *sexaginta fortes ambiunt*, &c. Quis autem hic Lectulus, nisi cor Virginis, in quo illa cum divino Salomone requiescit, deliciatur ac fabulatur? eum verò *ambiant fortes*, quia castum hoc commercium comitantur sanctæ cogitationes, quæ contra omnes libidinis assultus, *timores verè nocturnos*, & à negotio perambulante in tenebris, eam protegent atque defendunt. Notum est ubi luxuriæ manus dederit filius ille adolescentior, de quo Salvator in Evangelio, certè non in domo Patris, *Luc. 15. vers. 13.*
sed peregrè profectus in regionem longinquam, ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose: neque Virgini cœlestis Patris filiæ, quousque ei adhæret, timendum incontinentiæ periculum: at si affectu & cogitationibus ab eo recedat, quantociùs succumbet oppugnata.

Tertium est **FUGA OTII**, multam enim *Eccl. 33: 29.*
malitiam docuit otiositas, quam proinde Bernardus *ad Fratres de Monte Dei.*
omnium tentationum, & cogitationum malarum & inutilium sentinam indigitat. „Sicut per rimam sentinæ (commentatur in hæc Melliflui Scriptoris „verba Doctor Seraphicus Bonaventura) aqua latenter intrat & crescit donec navis mergatur; ita ex „otio cogitationes & concupiscentiæ multiplican- *De Profectu Religios. L. 1. c. 38.*
 „tur, donec navis cordis eis succumbens in peccato periclitetur: & ut olim Sabbatho, quo ferias *Machab. 2: 38.*
 celebrabant, ab Antiochii militibus oppugnati &

cæsi sunt Judæi : sic nunquam victoriosiores Luxuriæ emissarii quàm ubi animus sabbathicus, id est otiosus : in hoc ergo prælio nunquam sabbathizare statuat cum Mathathia, aliorum edoctâ clade : otium namque adulterum fecit Davidem, cùm is domi hæreret, & in solario domus suæ deambulare *eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere.* Salomon fabricâ Templi occupatus victoriosus exitit, at otiosus mancipium libidinis. Fœdissimas Sodomæ iniquitates, illius & filiarum illius otio ascribit ipsemet Dominus : illud ergo fugiat quæ suam vult integram pudicitiam.

L. de Ordine Vitæ.

Quartum est HUMILITAS, D. Bernardo dicta Custos Pudicitiae : ea lorica est, quâ præcincta Castitas invulnerabilis est : scutum est, sub quo secreta lateat : quâ quæ caret, non modò patet, sed & subinde libidini captiva traditur & hæresi, eo, qui *superbis resistit, humilibus autem dat suam gratiam,* occultam superbiam (aliis ad cautelam) manifestâ puniente luxuriâ & apostasiâ : „ An verò propter aliud credendum est (observat D. Aug.) permittere Deum, ut misceantur numero professionis vestrae multi & multæ casuri & casuræ, nisi ut his cadentibus timor vester augeatur, quò superbia comprimatur, quam sic odit Deus, ut contra hanc unam se tantum humiliarit Altissimus. Monet proinde : „ Perseverantes in numero vestro præbeant vobis exemplum, cadentes autem augeant timorem vestrum : illud amate ut imitemini, hoc lugete ne inflemini. Et certè Virgini quæ ratio superbiendi ? Si namque Deum respiciat, quid, nisi quod ab eo accepit, habet ? meritò dictura : *Tenui-*

sti manum dexteram meam, & in voluntate tua dedu-
xisti me. Si seipsam inspiciat, quot se obnoxiam im-
 perfectionibus agnoscat! Sin autem alias aspiciat aut
 Virgines sunt aut Seculares: Si Seculares, „plerum-
 „que actione secularium, inquit D. Gregorius, *Past. Cu-*
 „vita Continentium confunditur, cum illi ultra ha- *ra p. 3.*
 „bitum assumant opera, & isti juxta ordinem pro- *admon.*
 „prium non excitant corda: unde benè per Prophe- 29.
 „tam dicitur: *Erubescere Sidon ait mare:* quasi enim *Isai. 23: 4*
 „per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur,
 „quando per comparisonem vitæ secularium atque
 „in hoc mundo fluctuantium ejus, qui munitus &
 „quasi stabilis cernitur, vita reprobatur. Hæc S. Pon-
 tificex. Sin autem Virgines sint: „Quoties cogitas de
 „perfectione virtutum, noli considerare quid aliæ
 „minus habent quàm tu habes, (suggerit D. Ful- *ad Pro-*
 „gentius) sed quid tu minus habeas quàm habere *bam c. 19.*
 „jam debes, nec ideò te putes virtutibus perfectam
 „si quamlibet aliam videas criminibus deditam: nec
 „propterea tibi aliquid velocitatis assignes, si quas-
 „libet aut retroredeunt, aut segniter videas ambu-
 „lantes: neque enim idcirco sanos oculos habere
 „pronuntiandus est lippus, quia videtur cæcus à lu-
 „mine penitus alienus: nec ideò sanus dicendus est
 „qui gravi jacet vulnere semivivus; si alius graviore
 „vulnere reperiatur occisus: nec ibi debet tanquam
 „victor vindicare gloriam, quisquis, licet ab hoste
 „non sit occisus, tenetur tamen ab hoste captivus.
 „Quantò itaque *major es, humilia te in omnibus, & co-* *Eccl. 3: 20.*
 „ram Deo invenies gratiam. *Filii Dei thalamus elatas* *Epist. 3. ad*
 „non recipit, & *humilis Sponsus à connubio suo superbas* *Probam*
 „expellit, ex S. Fulgent. *c. 18.*

Quintum suppeditant OPERA POENITENTIA-
 TIARIA : est autem duplex Castitas, una corporis,
 altera mentis, seu potius eadem se ad utrumque ex-
 tendit : allegata jam, quibus accensenda liberalior
 ELEEMOSYNA, tuentur pudicitiam mentis :

L. de Hab. & Disc. Virg. „Locupletem te sentiant indigentes (hortatur D.
 Cyprianus) patrimonium tuum Deo foenera,
 Christum ciba, ut Virginitatis perferre gloriam li-

ceat; ut ad Domini præmia venire contingat mul-
 torum precibus exora. Quæ hîc se difficiles præbent,
 Sponsum suum non amant cujus curam non habent:
Manus enim pauperis est gazophylacium Christi, ex

Serm. 8. Matth. 25: 40. D. Chrysologo, *quia quicquid pauper accipit, Chri-*
stus acceptat, ideoque vicissim nec earum sollicitam in-
 tentationibus curam gerit: dic ergo tu: Ego Dilecti
 meo: poterisque tibi vicissim polliceri, & *ad me con-*
versio ejus. Corpus verò Luxuriæ subtrahunt

OPERA POENITENTIALIA, qualia sunt Hu-
 micubationes, sive, ut loquar phrasi S. Hieronymi
Epist. 2 ad Nepot. Chameuniæ. „Jejunia, quæ tamen (ex ejusdem
Epist. 4 ad Rustic. Doctoris præscripto) moderata sint, ne nimia de-
 bilitent stomachum & majorem refectionem pos-
 centia erumpant in cruditatem, quæ parens libi-

Epist. 142 c. 21. dem apud S. Augustin. „Quidquid illud quod
 inflammare corpus potest, is inquit, quod fometum
 suggerit voluptati, castitatis amore fugien-
 dum est: nec tamen ita magno hujus rei labore gra-
 vari te volumus, ut sub ipso statim onere succum-
 bas: per quod multi dum nimio fervore mentis
 ationem suarum virium non haberent, subito
 cor-

„conciderunt, & poenè ante debilitatem, quàm san-
 „ctitatem de Proposito suo consecuti sunt. Opti-
 „mus est in omni re modus & laudabilis ubique
 „mensura: corpus non frangendum, sed regendum
 est. Cilicia quorum usus in hoc bello familiaris Davi-
 di: Ego, is inquit, *cum mihi molesti essent induebar cili-* *Psal. 34:*
cio, humiliabam in jejunio animam meam. Discipuli- *vs. 14.*
 næ Apostolo (juxta D. Bernardi periphrasin duci stre- *Serm. 2.*
 nuo militiæ spiritualis) frequentatæ seipso teste: *in Af-*
Castigo corpus meum, & in servitutem redigo. Ver- *sumpt.*
 bo denique, huc pertinet, quicquid natum est per *Maria.*
 dolores sensus extinguere pruriginem carnis ejus- *1 Cor. 9:*
 que petulantiam cohibere, quo intuitu Doctore *27.*
 Angelico à castigando etymologia Castitatis est.
 Lascivit itaque corpus tuum? Vides aliam legem in *Rom. 17:*
 membris tuis repugnantem legi mentis tuæ teque ca- *23.*
 ptivantem in lege peccati, quæ est in membris tuis?
 en arma quibus hostem expugnes, ea arripe iisque
 juxta Superioris tui utere consilium: locus, quem
 premit obsidio, tormenta bellica concutiunt & vio-
 lentâ manu miles invadit, cuique subducuntur Vi-
 ctualia, cogitur tandem ad deditionem: ideoque
 præcinge te cilicio, humicubationibus fatiga, Di-
 sciplinis concute, & per jejunium subtrahe libidini
 alimoniam, *quia dum satietate venter extenditur, ha-*
bet S. Gregorius, aculei libidinis excitantur, eam sub- *Past. p. 3.*
trahe & dabit manus victas: sic, sic, est naturæ furor admon.
cicurandus, ex D. Chrysoft. de Virg. c. 9. sic cohiben- *20.*
da carnis petulantia. Sed de his satis, de quibus id-
 circo fufius, quia, ut monet jam memoratus Pon- *In 1 Reg.*
 tifex, „qui virtutum flores in mente non vult exure- *15. l. 6.*
 „re, ita debet libidinis ignem extinguere, ut per te-

Serm. 1. de Assumpt. B. M. V. nuem scintillam nunquam possit ardere. „ In omnibus itaque (ut finiam verbis D. Augustini) te talem Virgo Venerabilis exhibe, ut quasi Liliū de horto Ecclesiæ colligaris, & Regi digna sis Virginum in perpetuum copulari.

L. de Virginit. c. 27. Antequam tamen ab hac Materia digrediar, auream Aurei Oris sententiam audire lubet, eorum omnium, quæ gemino hoc §. diximus, illustre Breviarium: „ Novi rei contentionem, novi Virginum studium, novi belli gravitatem: pervicaci quodam & forti animo opus est atque à libidinum sensu averso, nam per carbones ingrediendum est ut non uraris, & per mucrones eundum ut non faucieris: ea est enim libidinis vis quæ ignis atque ferri, quòd, nisi animus ita comparatus sit ut nec ad ejus dolores moveatur, protinus se perdat. Itaque opus est nobis adamantinâ mente, oculo insomni, tolerantia summâ, muris firmis, parietibus, foribus ac repagulis, custodibus pervigilibus ac prævalidis, atque imprimis cœlesti favore, nam nisi Dominus urbem custodiat, frustra vigilant custodes. At quo pacto eum favorem eliciemus? si nostra omnia conferamus, sana consilia, summam jejunitatis ac vigiliarum contensionem, Legis procurationem, Præceptorum studium & quod caput est, si in nobis fiduciam non collocemus, quâ, & si magna quâdam præstemus, illud apud nos perpetuò dicamus, necesse est: nisi Dominus ædes instruat, frustra laborant, qui eas instruunt. Nec enim nobis lucta est adversus sanguinem & carnem, sed adversus Principatus, adversus Potestates, adversus mundi Potentes tenebrarum hujus sæculi, adversus nequam

„quam spiritus, qui sunt in cœlestibus: ac noctes
 „diesque cogitationes nobis armatæ stent oportet,
 „& impudentibus libidinibus formidini sint: quip-
 „pe si minimum remittant, astans Diabolus ignem
 „manibus tenet vibraturus ac Dei Fanum concrema-
 „turus. Ergò opus est undique muniamur: est enim
 „nobis pugna cum naturæ necessitate, Angelorum
 „studii æmulatio, cum incorporeis Copiis cursus, ter-
 „ra atque cinis Cœlicolis æquari nititur, mortalitas
 „cum immortalitate certamen init.

§. XVII.

De Refectione Corporis.

Duplici parte constat homo, animâ scil. & cor-
 pore, sed non æquè nobili: illa namque primas
 obtinet, cujus hoc ministerio deputatum est, quod
 proinde *hominis* seu animæ *famulum* indigitat Augu- *In Psal.*
 stinus. Ei utriusque cura incumbit, Animæ, quo ^{145.}
 vitâ vivat gratiæ & aliquando potiatur æternitate cœ-
 lestis gloriæ: Corporis ne debilitatum deficiat aut
 protervum menti prædominetur: eam Animæ adhi-
 bet per peccati fugam virtutisque serium studium,
 Corpori verò præcipuè per hæc tria, somnum scil.
 de quo infra §. 19. Vestitum de quo supra §. 3. &
 Alimenta; qualem autem in his erga illud se exhi-
 bere debeat, Virginem devotam præsens §. do-
 cebit.

PRIMÒ prandii & cœnæ tempus non præveniat
 aut interrumpat, eas æmulata, quæ toto prope die
 sine induciis feruntur in esculenta, quibus nunquam

non gratum quicquid modò dentibus offertur, quæque eorum omnium dummodo palato arriserim, ubi in re culinaria occupantur quasi decimas aut v. etigal exigunt & accipiunt: hæc namque, cum non ut edat vivat homo, sed ut vivat edat, manifestò convincuntur non necessitati sed voluptati indulgere quod inter Gulæ species ex D. Gregorio, & alijs SS. PP. recensent Theologi.

SECUNDò refectioni orationem præmittat, & amque cum gratiarum actione finiat: neque enim fas est Virginem Deo sacram bruta animantia imitari, quæ, quod objicitur, devorant neque agnoscunt à quo accipiant. Quot, etiam in hac Civitate, sunt pauperes, qui vix habent quo vitam sustentent! qui erga eos parcior, is tibi aperiens manum suam tam abundanter prospicit: agnosce itaque beneficium grato animo, quod & ille ex Apostolo cum gratiarum actione à te vult percipi, ad exemplum Salvatoris, qui non legitur in Evangelio panem in manus sumpsisse, nisi cum benedictione & gratiarum actione.

TERTIò ne nimis avidè cibum ingurgitet quasi timida, ne fortè, qualis accessit famelica iterum mensa recedat: est quidem appetitus & gustus, sanitatis indicium, at voracitas semper culpabilis: *Eccl. 37: 32. li avidus esse in omni epulatione, habet scriptura, non te effundas super omnem escam.* Nam etiam qui ad sanitatem corporis (observat D. Bernardus) cibibus quantò honestiùs & ordinatiùs sumitur & ingeritur, tantò faciliùs & salubriùs digeritur. Hæc Mellissius Doctor, cum jam ante præscripsisset: Cum manducas nequaquam totus manduces, sed corpore tuo

Ad FF. de
Monte Dei

„tuo suam refectiōem procurante mens suam non
 „negligat, sed de memoria suavitatis Domini vel Scri-
 „pturarum aliquid, quod eam pascat, meditando vel
 „saltem memorando secum ruminet & digerat.
 Conceptus & affectus non suggero, cū eos animæ
 esurienti iustitiam cibi ipsi abundè suppeditent.

QUARTO delicatiora non affectet juxta A-
 postoli præscriptum: *Carnis curam ne feceritis in* Rom. 13:
 „*desideriis*: ex quo D. Fulgentius: cave ne carnis 14.
 „curam in desideriis facias, ne semper gulæ quod Epist. 2.
 „poscit indulgeas: refectiōe tuâ non voluptas ex- c. 13.
 „pleatur, sed sustentetur infirmitas. Et S. Bernar- De For-
 „dus: „Sicut ad Crucem sic accedas ad cibum, id est mula ho-
 „nonquam voluptate sed necessitate pascaris, & fa- nestæ Vitæ.
 „mes non sapor provocet appetitum. De condimen-
 „tis verò, (is inquit alibi) sufficiat obsecro, ut co- Ad Fra-
 „mestibiles fiant cibi nostri, non concupiscibiles vel tres Mon-
 „delectabiles, sufficit enim concupiscentiæ malitia te Dei.
 „sua, quæ vix aut nullo modo pertransire posset ad
 „finem explendæ necessitatis, nisi per viam quantæ-
 „cunque delectationis. Si ceperit accipere irrita-
 „menta ab eis, qui perpetuum susceperunt bellum
 „adversus ejus oblectamenta, fiunt duo contrau-
 „num, & sic periclitatur continentia. Ex quo fon- L. de ve-
 „te apud S. Basilium *condimentorum elaboratæ blandi-* ra Virgi-
 „tiæ, ut voluptatis illecebræ repudiandæ statuuntur. nit.
 Difficile enim inter epulas servatur pudicitia, scribit
 D. Hieronymus. Et Innocentius Papa: *Venter opi-* Epist. 47.
 „*parè satur libenter Venerem amplexatur.* Ex quo capi- L. 2. de
 „te Virgini interdicta sunt convivia, quæ fugienda miseria
 „præcipit S. Hieronymus, *veluti quasdam voluptatum* hominis
 „*catenas.* „Et certè qui Christum desiderat & illo c. 21.
 „pane Epist. 13.

pane

- pane vescitur, non magnoperè curat de quàm pretiosis cibis stercus conficiat. Idem subnectit, Gularum tributum exigit, sed vilissimum reddit (verba sunt præcitati Innocentii) quia quantò sunt delicatiora cibaria, tantò scædiora sunt stercorea. Quomodo cessarit Epuloni Evangelico nosti, *qui epulabatur quotidie splendide*: cumque palatum cibis pertransierit, quid tum? cæterum tam brevis est gulæ voluptas, (annotat idem Pontifex), ut spatium loci vix sit quantum digitorum, spatium temporis vix sit totidem momentorum. Nota in Epulone suprà non tam culpatas splendas quàm quotidianas epulas, eas namque honestas & hospitalitas quandoque exigit, & suam natura refocillationem subinde exposcit: ut autem id fiat cum lucro spirituali ditiores mensæ suæ pauperiores admoveant: suadet hæc convivium Galilæ Viduæ D. Fulgentius, cujus discursum lubet audire: „ Tales autem convivii debes habere participes, quæ non carnis solent delicias laudare sed cordis, quæ Angelorum panem interioris hominis aviditate perquirunt, quæ post Sponsum tuum in odore unguentorum ejus currunt, quæ suavitate Deum gustus interioris percipiunt, quæ puro affectu esuriunt sitiuntque justitiam, quæ operantur cibum non qui perit sed qui permanet in vitam æternam, cum talibus & colloquia tibi conferenda & frequentanda convivium, ut, cum eas cibis corporalibus pascis, ad meritum tibi sanctæ operationis accedat, & cum earum verbis spiritualibus pascaris, profectus tibi sanctæ conversationis accrescat. Hactenus Sanctus Antistes ad unam ex Viduis, quas secundum
- Epist. 22. pudicitiae gradum tenere* notat D. Hieronymus concinens

cinens Tertulliano cui Viduitas *secunda Virginitas*. L. de Ex-
Virgines circumspectæ & religiosæ unà tecum vrescen- hort. Ca-
tur: quæ fufius S. Fulgentius, brevi hac sententia stitatis.
 præcipit S. Athanasius L. de Virg.

QUINTO denique sine excessu moderata sit
 refectio, ut, juxta D. Bonaventuram, sit refectio cor- De Prof.
 pori, non onus: Eustochio id præcipit D. Hieronymus: Relig. L. 2.
 „Sit tibi moderatus cibus & nunquam venter exple- c. 47.
 „tus: plures quippe sunt, quæ, cum vino sint so- Epist. 22.
 „bria, ciborum largitate sunt ebria. Et Lætæ pro c. 6.
 Institutione Filiæ: Sic comedat, ut semper esuriant. Epist. 7.
 Quibus concinit supremus Legislator: Attendite Luc. 21:
 vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula & 34.
 ebrietate. Et licet viliora cibaria sint, in quibus exce-
 ditur, gulæ tamen malitiam non tollunt, etenim Dia-
 bolus in deserto non de dapibus delicatis sed de pa-
 ne tentavit Dominum, & in Paradiso Evam de po- Matth. 4:
 mo, ut sciamus etiam in vilissimis esculentis gulam 3.
 reperiri, & cibo communi & insuavi non commu- Gen. 3.
 nem sed immoderatum appetitum commisceri. Est
 autem triplex ratio cur inhibeatur excessus. PRI-
 MA quod sanitati officiat in multis enim escis, testis
 est Ecclesiasticus, erit infirmitas. SECUNDA quod c. 37: 33.
 libidini fomenta seu irritamenta subministret, disten-
 tio corporis, inquit S. Paulinus animæ sobrietatem ne- Apud S.
 cat, & inimica est castitati: Ubique saturitas ab- Aug.
 undaverit, ibi luxuria dominabitur scribit S. Bernar- Epist. 58.
 dus. Ventrem distentum cibus & vini potationibus ir- De modo
 rigatum voluptas luxuriæ sequitur. Effervesceat olla cui vivendi
 nimius supponitur ignis. TERTIA quod mentem Serm. 25.
 obscuret: Sicut fenestra obstructa limo, in simili decla- Supra l. 2.
 rat Doctor Seraphicus, Obtenebratur, sic intellectus c. 45.

cibo

cibo obrutus obscuratur, quodque desidiam generat.
Nimia enim ciborum repletio pigrum reddit, habet idem
ibid. L. 1. Autor, quia vas plenum ponderosum efficitur. Corp.
c. 35. enim, quod corrumpitur, aggravat animam. Unde
Sap. 9: 15. & Vae vobis qui saturati estis, comminatur Salvator,
Luc. 6: 25. quia esurietis. Eaque de causa frequentius Jejunium,
in Praefat. quo Deum vitia comprimere, mentem elevare, vi-
Qua va- tutem largiri, & praemia cantat Ecclesia, SS. PP. com-
gesimali. mendant, ubi tamen observanda D. Hieronymica
Epist. 22. c. 6. tela Eustochio praescribentis: „Sint tibi quotidiana
 jejunia & refectio satietatem fugiens: nihil prodest
 biduo triduove transmissio vacuum portare ven-
 trem, si pariter obruatur, si compensetur saturitate
 jejunium: illic mens repleta torpescit & irrigata
 humus spinas libidinum germinat.

Itaque, Virgo, ut dicta tandem finem habeant
Ad FF. de Mensam tuam, ex D. Bernardo, per se satis sobriam
Monte Dei. sobrietas tua perornet. „ Ut cunctis animae virtuti-
In Admo- bus florere possis (addit S. Basilius) & caro tua sub-
nit. ad Fi- jecta sit animae tuae, & ancilla tua famuletur Do-
lium spi- minae suae: noli incrassare ancillam tuam, ne con-
ritualem. temptui habeat Dominam suam, sed & in omni-
 bus ejus obsequiis mancipetur. Haec D. Basilius,
 vel quisquis ejus Tractatus Autor est.

§. XVIII.

De Examine Conscientiae,
 &
Oratione Vespertina.

R Esert Hagiographus, post eorum produc-
 nem

nem ad opera sua singulis, è sex diebus, quibus hoc universum creavit, respexisse Dominum: illâ *Gen. 1: 4* eum anthropologiâ describens tanquam artificem *& aliis.* suum opus examinantem & explorantem, non an quid illis deesset, *Dei enim perfecta sunt opera, sed ut* *Deut. 32: 4* *nos ad exemplum ejus discamus,* juxta Marii nostri *In c. 1.* Commentarium, *videre opera nostra eaq³ examinare.* *Gen. Litt.* Virginem quotidie, antequam somno se tradat, hoc *P.* prototypon imitari necesse est & utile.

Necesse quidem, ut si quid contra Dei voluntatem commissum vel omissum, peccatum suum agnoscat veniamque exoret: *Scrutemur vias nostras,* urget Jeremias, *& quæramus & revertamur ad Domi-* *Thren. 3: 40.* *num. Quæramus* seu inquiramus à Conscientia nostra satis garrulâ, num etiam aberraverimus à viis Domini, & in quibus in eisdem defecerimus, ut deprehenso errore & defectibus, iisque verâ animi contritione correctis, *revertamur ad Dominum,* quò tota Virginis vita, *quæ cogitat quæ Domini sunt,* collimare debet. In hoc namque impios à Justis discriminat Scriptura, quod illi peccatis suis inforDESCANT, hi autem post lapsum quantociùs resipiscant: *Septies cadet Justus & resurget, impii autem corruent in malum:* *Proverb. 24: 16.* „ Quotidie actus tuos discute *curiosius,* (huc respiciens præcipit D. Basilius) &, si te peccatis obnoxium senseris, ad pœnitentiam citò confuge: nolo *L. de vera Virg.* „ ut protrahas peccatum tuum de die in diem, sed, si „ quid cogitaveris malè, in Deo pœnitentiam age, & „ velociter de corde tuo seca illud. *Ad vespèrum demorabitur fletus,* inquit Psalter, *& ad matutinum lætitia:* *Lætitia manè,* quòd redierit dies, quo licebit tua Deo deferre obsequia, ulteriori animæ perfectioni

ni

ni incumbere : at fletus vesperi in conscientia scrupulo ob negligentias tuas & commissos errores : „
Hom. 9. lum tantum diem vixisse te computa, (suggerit, Eusebius Emisenus) in quo voluntates proprias abnegasti, in quo malis desideriis restitisti, quem sine ulla regulæ transgressione duxisti. Illum diem te vixisse computa, quem non malitia, non invidia, non superbia commaculavit; quem non mendacii, non perjurii culpa resperfit, qui peccato non cessit, qui Diabolo repugnavit: illum diem vixisse te computa, qui puritatis & sanctæ meditationis habuit lucem, quem non conversatio tenebrosa mutavit in noctem: illum inquam diem applica ad vitam tuam, cujus usus pervenit ad animam tuam.

Utile verò est hoc Scrutinium ad detegenda animæ vitia & imperfectiones, quò radicatus excindantur, quod proinde Sarculo jure comparaveris: „
Supra. „Abscinde (post præscriptum hoc exercitium, instat D. Basilius) virgulta spinarum de agro cordis tui, ne defigant in te altas radices: scito quòd cor tuum, ager est Domini, excole eum cœlestibus disciplinis, & non finas zizania seminari. Quæ namque vitis, implacabilis est, cujusque votum, ut debet esse Virginum omnium: *Deficiant peccatores à terra*, terra scil. cordis mei, & *iniqui ita ut non sint*, ac primum aliquod prodromum in animam irrepsisse deprehenderit, neutiquam fovebit, at quantocius reluctabitur & expellet, æmulata Regem Jerichuntinum, qui intellecto Israëuitarum exploratorum adventu mox in eorundem excidium incubuit: imitata Herodem sed sine meliori, qui auditâ Regis Judæorum natiuitate in Bethleëm, in omnium Bethleëmitarum infan-

tium internecionem suorum militum gladios exacuit *Matth. 2:*
 & strinxit: quæ autem hîc negligens aut ignava, *16.*
 digna est quæ è Virginum Albo expungatur cùm
 ea Virgini cura incumbat, quò sit sancta cor-
 pore & spiritu, cui vel maximè hoc conscientia
 scrutinium ancillatur, ideóque meritò inscribendum
 peccatorum omnium & vitiorum Exterminium, om-
 niumque virtutum ac perfectionis Seminarium, un-
 de & à SS. PP. & Asceticis Doctoribus tantâ instan-
 tiâ commendatum.

Cujus praxin, si cui ea non satis perspecta, bre-
 viter accipe. PRIMÒ te in Dei præsentia con-
 stitues, quò accuratiùs & sine palpatione aut conni-
 ventia perficiatur, cùm ei nihil occultum, nihil sit
 ignotum, *Omnia autem nuda & aperta oculis ejus, Heb. 4:13.*
 quos multò plùs lucidiores super solem, circum-
 spicientes omnes vias hominum, eorumque corda in-
 tuentes in absconditas partes describit Ecclesiasticus. *cap. 23: vers. 28.*

SECUNDÒ petes lumen quò tua tibi pateant er-
 rata: inquires cum Psalte: *Iniquitatem meam annun-* *Psal. 37:*
tiabo & cogitabo pro peccato meo, rogabis cum Job: *19.*
Responde mihi quantas habeo iniquitates & peccata, *c. 13. vers.*
scelera mea & delicta ostende mihi. *22. & 23.*

TERTIÒ à tempore expergefactionis de hora in
 horam inquires in singulas cogitationes, verba & ope-
 ra: „Sedeat judicans justitia (ex D. Bernardo) stet *ad Fratres*
 „rea & seipsam accusans conscientia: nemo te plùs *de Monte*
 „diliget, nemo te fideliùs judicabit: manè præteri- *Dei.*
 „tæ noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ
 „diei tu tibi indicito cautionem, vesperè diei præ-
 „teritæ rationem exige, & supervenientis noctis fac
 „indictionem: singulis horis secundum communis
 Q insti-

instituti canonem sua distribue exercitia, cui spiri-
tualia spiritualia, cui corporalia corporalia, in qui-
bus sic exsolvat omne debitum spiritus Deo, cor-
pus spiritui, ut, si quid intermissum, si quid ne-
glectum, si quid imperfectum suo modo, suo lo-
co, suo tempore, non abeat impunitum vel irre-
compensatum.

*Philipp.
2: 13.*

Pf. 4: 5.

*Exhort.
ad Virg.*

Puncto 8.

QUARTO quæ benè gesta adverteris Deo
ascribes, *qui operatur in vobis*, ait Apostolus, &
velle & perficere pro bona voluntate: de iis autem quæ
perperam gesta deteguntur, teipsam confundes: „Vo-
luit homines omnes (ex illo Psalmi: *Quæ dicitis in cor-
dibus vestris in cubilibus vestris compungimini*, dedu-
cit D. Ambrosius) suorum debitorum esse censores,
ut &, qui publico testimonio non tenetur, seipsum
iudicem, qui in occulto lapsus est, erubescat, &
aculeo quodam coërceat amaritudinis & pudoris.
Confundes inquam teipsam de multiplici gratiarum
abusu, veniam postulabis à Deo, eique emendam
polliceberis: &, quò cautior sis imposterum, certam
aliquam pœnitentiam, Eleëmofynam scil. cilicium,
disciplinam &c. tibi injunges: „Discas tibiipſi præ-
esse, & teipsum regere non alios, propriam vitam
ordina, mores tuos compone, teipsum judica, apud
teipsum accusa & condemna, nec impunitum di-
mitte excessum, tibiipſi esto durus, nunquam aliis,
in octo Punctis habet D. Bernardus.

Hæc de Examine generali, cui additum ab Asceti-
cis Scriptoribus (ut vocant) Particulare, quod cir-
ca particulare aliquod vitium, in quod te proniorem
agnoscis, versetur: in quolibet namque homine fe-
rè invalescit aliquod vitium plurium scaturigo, quod
qui

qui radicatum vult in illud hoc particulare scrutinium instituat ejusque excidio advigilet juxta dicta puncto quarto præcedenti.

Itaque filia mea, cujus necessitatem audistis, utilitatem & praxin, sit vobis quotidianum hoc Examen: quæ namque crastinum sibi poterit polliceri? si autem *vias meas in conspectu ejus arguam*, dicit Job, c. 13: 15: *ipse erit Salvator meus*. Ideoque juxta Apostolum:

Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. Eoque judicio peracto subnectatur gratia- 1 Cor. 11: 32.

rum actio pro diurna custodia tam sollicitè immeritis exhibita, vosque cum parentibus, amicis & reliquis, pro quibus vobis incumbit oratio, divinæ tutelæ, Deiparæ Virginis, Angeli custodis & SS. Patronorum patrocinii committite.

§ XIX.

De Somno.

Pasci eum inter Lilia, donec aspiret dies & inclinentur umbræ de Dilecto suo testatur Sponsa: *Dilectus meus mihi*, inquit, & ego illi, *qui pascitur* Cant. 2: *inter Lilia* (hoc est, interprete D. Hieronymo, *inter* 16. *Virginum candidissimos Choros*) *donec aspiret dies, &* L. 2. cont. *inclinentur umbræ.* Ibidem & ab iis pascitur piis affectibus & aspirationibus, fervidis orationibus virtuosisque exercitiis: eum namque pascit quicquid sustentat animam tuam, cum is sit animæ tuæ vita, seu potius tua ex immenso amoris affectu sit vita sua: pascitur autem *donec aspiret dies & inclinentur umbræ*, quod est juxta literam noctuque diuque

Q 2

quomodo

Quomodo autem pascatur per diem huc usque tradidimus: nunc verò, cùm nox ingruat & Somnus Virgini obrepit ejusque oculos gravet, qualiter de nocte pascatur eam docebimus.

PRIMÒ dictis precibus vespertinis & relectâ crastinæ meditationis materiâ, ut manè inter induendum juxta præscripta §. 3. ita nunc inter exuendum piis se considerationibus occupabit, quas suggerent ipsæ exuviæ, eæque sunt: modò, Protoparentum nostrorum denudatio ab originali justitia, eâ namque amissâ cognoverunt se esse nudos: detestetur eorum inobedientiam, cumque eam in baptismo iterum induerit, *quicumque enim in Christo baptizati estis Christum induistis*, concipiat firmiorem ejus custodiam: *custodi innocentiam* inquit David, & *vide æquitatem*, quoniam sunt reliquæ homini pacificæ. Deponat vestimenta corporis, at animæ nonquam. Aliàs suspiret, ut, quomodo involucra corporis, ita exuat & deponat vitiosos animæ habitus, quibus in examine se amictam deprehendit: *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro: nolite mentiri invicem expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus qui creavit illum.* Nunc, Christi denudatio sive ad flagella in Prætorio Pilati, sive ad Crucem in vertice Golgothæo. Aliquando, denudatio corporis in hora mortis; utinam anima tunc non inveniatur nuda! & ne deprehendatur talis nunc allaboret: Non enim, ut testis est Apóstolus, cœlesti gloriâ superinduetur, nisi quæ vestita & non nuda fuerit inventa. Subinde Operum

Gen. 3: 7.

Gal. 3: 27

Psal. 36:

37.

Coloss. 3:

8, 9, 10.

2 Cor. 5: 2

& 3.

Operum coram Deo denudatio, *in fine hominis* inquit Ecclesiast. *denudatio operum illius*: quot tunc 11. c. 29.
deprehenduntur fuisse vitia, quæ nunc virtutes ap- vs.
parent, quando iustitias iudicabit & in lucernis
scrutabitur Jerusalem!

SECUNDÒ osculo terræ prius dato, quò, quid Gen. 3: 19
fuerit quidque futura sit, reminiscatur, dum cubi-
le ingreditur non ut corpori blandiatur, sed ut ala-
crior in Dei sui obsequium exsurgat, sic se deferen-
dam aliquando, cogitet ad sepulchrum, & ut nunc
stragulis involvitur, sic se, fortè propediem, obruen-
dam humo: quid namque stratum nisi sepulchrum,
& somnus nisi vivi hominis sepultura: ideoque in
manus Domini commendet spiritum suum.

TERTIÒ pijs conceptibus occupata somnum
præstoletur: „ Certè solennes orationes cum gratia-
„ rum actione sunt deferendæ, (monet D. Ambros.) L. 3. de
„ cùm è somno surgimus ... cùm denique cubitum Virg.
„ pergimus: sed etiam in ipso cubili volo Psalmos cum
„ oratione dominica frequenti contexas vice vel cùm
„ evigilaveris, vel antequam corpus sopor irriget, ut
„ te in ipso quietis exordio rerum secularium
curâ liberam divina meditantem somnus inveniatur.
Ruminantem Psalmos, habet Abbas Mellifluus *som-* Formula
nus te occupet, ut in somno somnies, te dicere Psalmos. honestæ
Vitæ.
„ Cave in quantum potes serve Dei, (præcipit idem
„ alibi) ne totus aliquando dormias, ne sit somnus
„ tuus non requies lassæ sed sepultura corporis suf-
„ focati, non reparatio sed extinctio spiritus tui ...
„ iturus ergo ad somnum semper aliquid defer tecum
„ in memoria vel cogitatione, in quo placidè ob-
„ dormias, quod nonnunquam etiam somniare ju-

Ad FF. de
Monte
Dei.

vet, quod etiam evigilantem te excipiens in statum hesternæ intentionis restituat: sic tibi nox sicut, dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in deliciis tuis, placidè obdormies, in pace quiesces, facilè evigilabis, & surgens facilis & agilis eris ad redeundum in id unde non totus discescisti. Sobrium enim cibum sobriumque sensum sequitur sobrius somnus: carnalis verò somnus & brutus & sicut dicitur lethæus abominandus est Servo Dei: de quo verò post congruam quietem facilè est sensus corporis & mentis evocare, & quasi servos domus patrisfamilias ad opera necessaria spiritui suscitare, & emittere, huiusmodi somnus tempore suo aspernandus non est. Haftenus D. Bernardus. Recogitet igitur Apostolorum somnum, dum in horto Gethsemani sanguinem Christus sudat & aquam. Videat in Emmaus duos discipulos eundem cogentem ut apud se maneat. Contempletur Virginum prudentum sollicitam curam in comparando oleo lampadibusque præparandis, quas imitetur: & fatuarum socordiam, quam declinet: Verbo, perinde est quicquid animus volvit, dummodo natum sit, eum ad Dei virtutisque amorem inflammare, & à malo deterrere, ut juxta D. Basilium Hom: in Martyrem Julittam, *somni ipsi pietatis exercendæ meditationis quædam sint.*

Cant. 3:
c. 26. v. 9.

QUARTO denique, cum de nocte evigilat, præ cogitationes animum occupent: cum namque cogitare debeat Virgo ex præscripto Apostoli *quæ Domini sunt*, certè, si unquam aliàs, modò ad id se offeret occasio. Quærat itaque in lectulo suo per noctes cum sponsâ eum, quem diligit anima ejus, ea-
que

que cum Isaia desideret eum in nocte. Imitetur eum
 qui dixit: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei* *Psalm. 76:*
& delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spi- *4, 5, 6, 7-*
ritus meus: anticipaverunt vigiliis Oculi mei, turba-
tus sum & non sum locutus: cogitavi dies antiquos &
annos æternos in mente habui: & meditatus sum no-
cte cum corde meo, & exercitabar & scopebam spiri-
tum meum. Æmuletur S. Augustinum, exclamat
 is: *O æterna veritas, & vera charitas, & chara* *L. 7. Con-*
æternitas! tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. *Et sess. c. 10,*
 quò suspiriis suppeditentur motiva, recet Salva-
 toris natales & cunas, ejusdemque indige- iam non
 habentis ubi caput reclinet, offerat ei cor suum &
 omnia sua: contempletur pastores mediâ nocte pro-
 perantes ad præsepe: consideret acta in Domo Cai-
 phæ; & quem straverunt peccata hominum, duris-
 simum Crucis lectulum. Ex tenebris noctis metia-
 tur tenebras exteriores, in quas ille abjicitur, qui si-
 ne veste nuptiali deprehendebatur: timeat similem
 poenam, & ut evadat, *omni tempore sint ejus vesti-* *Eccl. 9.*
menta candida, candor autem vestium, ex sensu D. *L. 1. ad-*
 Hieronymi, *sempiternus, Virginitatis est puritas.* *versus*
 Audiat tot voces toto orbe Catholico Deo laudes *Forin.*
c. 16.
 concinentium, eorumque choro affectu sese aggre-
 get, sibi dictum reputet illud Jeremiæ: *consurge, Thren. 2:*
lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde sicut *19.*
aquam cor tuum ante conspectum Domini. Insonet
 auribus ejus clamor ille mediæ noctis: *Ecce sponsus*
venit, exite oviam ei. „Tu una de Virginibus (in- *L. 3. de*
 „quit D. Ambrosius) quæ corporis tui gratiam *Virgin.*
 „splendore mentis illuminas, tu inquam in cubiculo
 „tuo, & nocturno tempore constituta semper medi-

Cant. 5: 2.

tare Christum & ejus adventum omnibus sperato-
momentis. Denique dormiat sed vigilet cor ejus,
seu potius evigilet ad pulsum sui Dilecti: „ Quære
in noctibus, quære in cubili tuo (urget idem Am-
brosius) quoniam & nocte venit & pulsat janua-
tuam: vult enim te omnibus invigilare momentis,
vult janua tuæ mentis patentem invenire: est &
illa janua quam vult patere, ut aperiatur, ut reso-
net os tuum laudem Domini, gratiam Sponsi, Cru-
cis confessionem, cùm Symbolum recenses, Psal-
mos, in cubiculo tuo concinis. Ergo cùm venerit,
vigilantem te inveniat, ut parata sis. Dormiat caro
tua, vigilet fides: dormiant illecebræ corporis, vi-
gilet cordis prudentia, membra tua redoleant cru-
cem Christi & sepulturæ odorem, ut nihil iis som-
nus caloris infundat, nullos excitet motus. Ipsa
est Anima quæ Christo aperit quam nulli vapores
carnis exagitant: cùm hæc invenerit, sponsus trans-
ibit. Anima tua illum sequatur, discedat à cubili
suo, exeat in verbo ejus. Hæc S. Mediolanensis
Antistes.

Exhort.
ad Virg.

Tu itaque Virgo Deo sacra vis esse una, qualis
esse debes, ex Liliis, inter quæ pascitur Sponsus cœ-
lestis *donec aspiret dies*, præscriptæ ascuesce praxi
vestes exuens animos indue novos: corpus ad quie-
tem componens vel ex ea evigilans piis consideratio-
nibus mentem occupa: æmulare eorum studium
c. 7. v. 15. quorum speras consortium, qui in Apocalypsi ve-
fi sunt D. Joanni *ante thronum Dei, & serviunt ei
die ac nocte in Templo ejus.* Iis te accense de quibus
c. 62. v. 6. Dominus apud Isaiam: *Super muros tuos Jerusalem
constitui custodes, totâ die & totâ nocte in perpetuum*

non tacebunt. Quæ Christi Ancilla es, hominum famulas imitare, eæ non modò per diem ignem nutriunt, sed & vesperi in foco custodiunt, quò de nocte, si opus fuerit, & manè ad construendum novum expeditiores sint: difficulter enim in foco frigido aut sine reliquiis ignis flamma excitatur: eas inquam imitare, ardeat in te totâ die ignis charitatis, nutriatur is meditatione, lectione, oratione: *Amorem enim Dei in homine ex gratia genitum lactat lectio, meditatio pascit, oratio confortat & illuminat,* ex Ab- *Ad FF.*
bate Clarevallenfi. Sed & indormitura pia aliquot *de Monte Dei.*
puncta ex jam assignatis aut etiam iis, quæ de die devotionis calorem vel charitatis ardorem nutrierunt, in foco cordis tui depone, eaque expergiscens quasi è cineribus resuscita, hoc est cum Psalte in pace in *Psal. 4: 9.*
id ipsum dormire & requiescere.

CAPUT III.

De Ascensu & Descensu hebdomadario.

§. I.

De Patre Spirituali.

Sraëlitis, qui ex Ægyptiaca servitute educeret quique eos in promissæ terræ possessionem immitteret, Moysen datum à Deo Ducem & Consiliarium produnt sacræ Paginæ: is namque aperuit eis mare rubrum ut aquâ *Qs* *divisâ*

divisâ sine ullo detrimento transirent, contra Amalechitas oratione suâ victoriam obtinuit, à serpentibus læsis posuit serpentem æneum pro signo quem qui percussus aspiciebat sanabatur, famelicis procuravit Manna de Cœlo, sitibundis aquam eduxit de petra, acceptam à Deo Legem promulgavit, ac denique in omnibus eos inter & Deum Advocatum se exhibuit & Mediatorem: quem populo Israelitico dedit Dominus, eum Animæ ad perfectionem properanti, eum cuique Virgini necessarium Sancti Patres & post eos statuunt Ascetici Scriptores: quoniam nempe eam è peccati & vitiorum tyrannide eximat, salutis impedimenta removeat, ad rebellium passionum victoriam animet, animæ languoribus vulneribusque medeatur, frumentum electorum vinumque germinans Virgines dispense, verbo, è cuius ore Dei voluntatem ac beneplacitum intelligat, cuiusque in omnibus quoad conscientiam auxilio & consilio utatur. Hunc enim ordinem vel in natura vel in gratia Deus ipse constituit, ut perfectioribus imperfectiora subiaceant: ex hac causarum inferiorum ac superiorum continuatione colligationeque admirabilis illa mundi totius harmonia & quasi concentus existit: hac ipsâ membrorum mutuâ inter se subiectione & ordine præcipua pene Christi corporis species ac pulchritudo continetur, pedes ut rectè gradientur oculorum nutum sequantur oportet: ita ad virtutem tendentium permagni interest, ut iis quos Dei Spiritus uberiori luce cumulavit regendos sese ac gubernandos committant. „ Quum, subiecit in cor tuum cogitatio illa (Virgini præscribit, D. Athanasius) ut aliquid facias, ne temerè & „ præ-

L. de Vir-
gin.

„præceps eò tendas, ne inimicus te illudat, sed omnia
 „cum iudicio majorum aggredere. „ Bonum est
 „obedire Majoribus, (Demetriadem monet S. Hie- *Epist. 8.*
 „ronymus) parere perfectis, & post regulas Scrip-
 „turarum vitæ suæ tramitem ab aliis discere, nec
 „præceptore uti pessimo, scil. præsumptione tuâ.
 „Summâ vigiliâ (Adolescentem instituens, qui
 „se totum Deo tradere cogitabat habet D. Basi- *Serm. 1.*
 „lius) acerrimaque in omnes partes animi circum- *de abdica-*
 „spectatione operam dato, ut aliquem tibi virum in- *tionem se-*
 „venias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi *culi.*
 „vitæ studiis certissimum Ducem sequare: cujus
 idem ille Hierarcha ibidem dotes subnectit, quas
 ad numerum re- *um* reducit B. Franciscus Sale- *Introd.*
 sius, ut scil. charitatæ, scientiæ ac prudentiæ plenus *P. 1. c. 4.*
 sit, additque periculosum esse ac metuendum quem
 trium istorum aliquid deficiat: quamvis enim uti- *L. De fre-*
 lis ductor videatur, nullum tamen habere satiùs mul- *quenti*
 tû est, quàm eum qui prudenter regere aut nesciat *Commu-*
 aut nolit, censet Arnaldus. *nione p. 1.*
 • Moyses sit oportet ejusque Charitatem habeat;
 qui non sua emolumenta, sed Dei gloriam & subditi
 sibi populi quærebat: ejus audi cum Deo Deique
 cum eo colloquium populo Vitulum conflatilem ad-
 „orante: „Cerno quòd populus iste duræ cervicis
 „sit, ait ad eum Dominus, dimitte me ut irascatur fu-
 „ror meus contra eos, & deleam eos, *faciamque te* *Exod. 32:*
 „in gentem magnam. Cui Moyses: Cur Domine *9. & seqq.*
 „irascitur furor tuus contra populum tuum? quem
 „eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna &
 „in manu robusta. Ne quæso dicant Ægyptii: cal-
 „lidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & de-
 leret

vers. 31.
32.

leret è terra : quiescat ira tua , & esto placabilis super nequitia populi tui. Aut dimitte eis hanc noxam , aut , si non facis , *dele me de Libro tuo , quem scripsisti.* An non Dei gloria est cordi : *ne dicant Aegyptii &c. ?* nonne & salus populi delictum deprecanti ? nonne & in eo proprii commodi neglectus ? ei Dominus : *Faciam te in gentem magnam* & ille Domino : *aut dimitte eis hanc noxam , aut , si non facis , dele me de Libro tuo quem scripsisti.* Talis enim necesse est , cui tutò animam suam Virgo committet , seu potius cui eam Virginum Sponsus concedit : non enim dictum Petro pascere agnos & oves meas , nisi cum triplici protestatione non amorem , sed amoris præ reliquis exuberantiam prodidisset : neque pastoralium officiorum functionem prius iniri voluit , quàm ministrorum omnium animis ipsam divitiarum amoris & Spiritus Sancti plenitudinem infudisset : primarius enim eorum officii scopus & primaria Christi mens oves suas eis demandantis est , ut eas , sicut ipse amat , ament , ut ex amore eoque maximo & minimè vulgari pascere , sicut ipse patitur , ideòque à D. Ambrosio Pastores Evangelici non solum curæ pastoralis Christi , sed etiam *Amoris ejus Vicarii* fuere appellati. „ Unde , qui hoc animo (juxta D. Augustin.) pascunt oves Christi ut suas velint esse non Christi , se convincuntur amare non Christum , vel gloriandi vel dominandi vel acquirendi cupiditate , non obediendi & subveniendi & Deo placendi charitate : quorum proinde Sacerdotium ADULTERINUM vocat Gregorius Nazianzenus : verè adulterinum cùm affectus , qui in solam Dei gloriam ferre deberet , gloriæ vanæ commisceatur.

Tract.
123. in
Joan.

Tom. 1.
Orat. 32.

tur. Verè adulterinum, cùm amor qui solùm Dei principatum in & super Virgines respicere & promoverè deberet, cum dominandi libidine fornicetur. Verè denique Adulterinum, cùm Charitas quæ solùm Virginis profectum intendere deberet, sacculum portans & peram, turpe lucrum amplexetur: tales Paranymp hos non Sponsi Amicos sed Æmulos inscribit D. Bernardus. Alia intentio Pauli: „Non
 „quæro quæ vestra sunt, sed vos: nec enim debent
 „filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis: ego
 „autem libentissimè impendam & superimpendar
 „ipse pro animabus vestris, licèt plùs vos diligens
 „minùs diligar. Testis est mihi Deus (idem ille Phil-
 „lippensibus protestatur) quomodo cupiam omnes
 „vos in visceribus Jesu Christi, & hoc oro ut chari-
 „tas vestra magis ac magis abundet in scientia & in
 „omni sensu ut probetis potiora, ut sitis sinceri &
 „sine offensione in diem Christi repleti fructu justiti-
 „æ per Jesum Christum in gloriam & laudem Dei. Eadem sit cujusque Directoris intentio cujus radix Charitas, *sans elle c'est un corps sans ame, une ame sans esprit, un esprit sans vie, un conducteur sans yeux, un feu sans chaleur, un flambeau sans lumiere*, ait in aureo suo Tractatu de Directore Camus Episcopus Belluacensis.

L. 3. de
 Confid.
 c. 5.
 2 Cor. 12.

c. 1. v. 8,
 9, 10, 11.

Le Direc-
 teur Spi-
 rituel des
 intresse
 p. 1. c. 12.
 Eccl. 45. 6.

Charitati maritata sit Scientia, illâ ferveat cum Moyse, sed & hac cum eodem abundet, cui Dominus dedit coram præcepta & Legem vitæ & disciplinæ, docere Jacob Testamentum suum, & judicia sua Israël. Ideoque cum & doctrina perfectionis Christianæ non sit humanitùs adinventata, sed hausta divinitus, patet Superiorem esse quasi Dei discipulum & homi-

hominum Magistrum, qualis esse non poterit nislâ fuerit imbutus: què enim convenit ut lucem tenbræ subministrant, atque ut cæcus aliis se ducere præbeat? Omnino qui animarum regendarum munus suscipere velit, fidei doctrinæ notitiâ abunde refertus sit necesse est, & priusquam instruere aggrediatur, diu ac multum in seipso instituendè erudiendoque laborarit. Ex studio simul ac pietate efflorescat & redundet ejusmodi eruditio oportet nec eâ, quæ contentionis usu comparatur, scientia contentus sit, sed excelsiorem illam asciscat, quæ

Sap. 10:
10.

Scriptura *Scientia Sanctorum* appellatur, quam solus Dei Spiritus instillat, quam denique gemitis orationesque assidue exprimunt atque impetrant. Quare triplex illi Scientia opus est, una quæ à Scholâ petitur, altera quæ ex perpetua Ecclesiæ Traditione, tertia quæ ex fonte ipso hauritur per familiarè usum & consuetudinem, quâ cum Christo piæ religiosas mentes fervor pietatis & charitatis congenant. Prima illum eorum disciplinæ, qui vulgò Doctores appellantur, Alumnum: altera Ecclesiæ Catholicæ Discipulum, ut loquuntur Patres, tertio Auditorem efficit ipsius Christi, qui Pastorum & Ecclesiæ Rectorum animas arcanis illustrationibus

Joan. 6:
45.

quibus ut Evangelium loquitur, *docibiles Dei* fiant informat, divinarumque rerum notitiam mirâ & ineffabili inserit ratione, quam nemo novit nisi qui

p. 1. c. 29.

capit: hæc totidem verbis ex præcitato Arnoldo, „Hoc enim Adulterinorum & Asscriptitiorum Præfatum est, eoque munere, quod profitentur, indi-

Orat. 21.

gnorum (inquit Gregorius Nazianzenus) qui cum nihil prius ad Sacerdotium attulerint, Discipuli

„cipuli simul Magistrique pietatis creantur, aliosque
 „ante purgant quam ipsi purgati fuerint. Heri Sacri-
 „legi hodie Sacerdotes heri profani hodie Sacrorum
 „Antistites, veteres vitio, pietate rudes & recentes :
 „quales aliqui Parochos SÆCULARES omnes cri-
 „minantur, solis Regularibus notitiam regiminis asse-
 „rentes : quasi, ut olim Spiritus Domini à Saul in Da-
 „vid, idem ille ab illis legitimis Filiarum spiritualium
 „Patribus & à Christo constitutis Ducibus in hosce
 „transmigraverit, & quod in natura quandoque con-
 „tingit, Patribus suis filii amplius sapiant : „Labor &
 „latebræ & voluntaria paupertas, (scribit Abbas *Epist. 42.*
 „Mellifluus) hæc sunt Monachorum insignia, hæc
 „vitam solent nobilitare monasticam : vestri autem
 „oculi omne sublime vident, vestri pedes omne fo-
 „rum circumeunt, *vestræ linguæ in omnibus audiu-*
 „*tur consiliis*, vestræ manus omne alienum diripiunt
 „patrimonium. Hæc acerbius S. Abbas, cùm jam
 „sat sibi sapientes aliquos cerneret, quorum discipli-
 „næ subfuerant hætenus, ab Ordinariis suorum
 „obedientia se subducere seu potius subduxisse.

Scientiæ denique fœderetur Prudentia, quæ eam
 & charitatem moderetur, estque *appetendarum & vi-* *S. Aug.*
tandarum rerum scientia : diu revera Spiritus Sancti *L. 1. de*
 discipulus fuerit oportet, qui se aliorum Doctorem *lib. arbit.*
 ac Magistrum exhibere paret : diu in abdito atque in
 solitudine consulendus Deus, antequam in publi-
 cum prodeas & responsa edas quæ oraculorum vice
 habeantur. Triplicem hanc dotem complectitur D.
 Basilii & explicat, dum ejusmodi Ducem requi- *Supra.*
 rendum statuit, „qui rectum iter ad Deum volenti-
 „bus pergere sciat commonstrare, qui ornatus virtuti-
 bus

bus sit, cujus universæ totius ipsius vitæ actiones, testimonio sint charitatem in eo erga Deum inesse, qui divinarum Literarum scientiam habeat, virum, integrum nec ulli distractioni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, minimè libentur gerendis se negotiis admiscentem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minimè iracundum, injuriarum immemorem, naturâ propensum ad eos docendos qui ad ipsum accedunt, quem gloria inanis non inflat, superbia non extollat, adulatio non frangat, severum atque constantem, cui denique, nihil sit præstantius honore Dei.

Ratio omnium est evidens, nam cùm Animam Deum ducere debeat, certè scopus ejus Deus sit, viam norit eamque ipsemet comitetur oportet, alibi Dux non futurus, sed Seducitor.

Tu itaque Virgo quæ non maritum sed coelestem Agni sequelam cogitas, non nuptias sed mysticam nostram Scalam, si detur tibi optio, qualem descripsimus, felixas cujus directioni te subdas, neque Religiosum Parocho sed Parochum tuum Religioso præferas, cùm illi Animarum cura ex institutione divina competat, quam hic ex emendicato privilegio assumit. Vel si optio non detur, tam tu quàm Virgines reliquæ ei acquiescant, quem divina Providentia & Superiorum Judicium vobis proficiunt, non renovetur à vobis, quod in sui temporis Virginibus culpat D. Chrysostomus: „Eas quidem divina Lex (inquit) ab hoc ministerio remotas esse voluit, illæ vi factâ intrò irrumpunt, quæ, quandoquidem per se nihil ipsæ possunt, per alios omnia faciunt, ac tantum sibi vendicant potestatem, ut quo-

*L. 3. de
Sacerdotio.*

„ ut, quoscunque illæ Episcopos velint, & adlegent
 „ & summoveant. Fitque tandem per eas, ut, quod
 „ est in veteri proverbio, sursum ac deorsum
 „ sese habeant res, ac Principes suos subditi ipsi re-
 „ gant: atque utinam id tantum viri factitarent, non
 „ etiam eæ, quibus ne docere quidem permissum est:
 „ sed quid dico docere! certè ne in Ecclesia quidem
 „ fari illis B. Paulus permisit. Si iis dotibus, quas re-
 „ censuimus, ornatum nanciscantur, est quod sibi
 „ gratulentur, *Amicus enim fidelis protectio for-* *Eccl. 6:14.*
tis, medicamentum vitæ & immortalitatis, qui au- *vs. 16.*
tem invenit illum, invenit thesaurum: & qui *vs. 14.*
metuunt Dominum invenient illum. *vs. 16.* Nota: qui me-
 „ tuunt Dominum, invenient illum. „ Pastorum quip-
 „ pe ignorantia meritis congruit sæpe subjectorum,
 „ (eleganter observat S. Gregorius) qui, quamvis *Past. cu-*
 „ lumen scientiæ suâ culpâ exigente non habeant, *ra p. 1.*
 „ districto tamen Dei iudicio agitur, ut per eorum *c. 1.*
 „ ignorantiam hi etiam, qui sequuntur, offen-
 „ dant.

§. II.

*Qualiter erga Patrem Spiritualem se ha-
 beat Filia devota.*

E Am de hoc instruet trina conditio, quam subne-
 cto: &

PRIMÒ quidem agat cum eo **SINCERE** quem
 namque, à quo ad vitam spiritualem enutriatur in
 Patrem selegit, ei suas candidè aperiat necessitates,
 R. pandat

pandat defectus, hisce subsidium postulet, instructio-
nem petat, quò suis imperfectionibus exuatur in
virtutibus proficiat & accrescat: qualis filia ad pa-
rentem in rebus corporalibus, idem in iis, quæ ani-
mam concernunt, erga Patrem Spiritualem Virgi-
nis sit animus. Coram eo nihil dissimulet, nihil ab-
scondat: non pudeat suas ei pandere imperfectiones
à quibus exonerari suspirat: non timeat correptiones,
quæ & ipsa suas negligentias & excessus deplorat
& castigat, si esse Virgo vera, id est, sancta cor-
pore & spiritu affectat. Quem in ducem selegit ad
cœlestem Jerusalem, ab eo per quas semitas tendat
sciscitetur: ubi deviaverit, suum ei insinuet errorem,
quò in viam rectam reducat: ei sua manifestet ex-
ercitia, affectus, intentiones, &c. Quò sciat ipsa an-
ne adhuc dum hæreat in regia via: cui serium be-
106: v. 4. non exerrare cum iis, de quibus Psalmus: *Erraverunt
in solitudine in inaquoso, viam civitatis habitantium
non invenerunt.* Quæq; ibit de virtute in virtutem
usque videatur Deus Deorum in Zion, ei hæc metho-
Prov. 3: 7. dus sequenda: *Ne sis sapiens apud te ipsum,* monet
Rom. 12: Spiritus S.: & Apostolus: *nolite esse prudentes apud*
16. *vosmetipsos.* Nam *va qui sapientes estis in oculis v-
Isai. 5: 21 stris & coram vobismetipsis prudentes.* Etenim pro-
prium judicium malus est Consiliarius, à quo proinde
de pessima consilia. Sileo ego, ut, qui in hac materia
facundus est & fecundus, loquatur D. Basilus.
Serm. 1. Si igitur, (is inquit,) Dei munere talem quempiam
de Abdi- Virum (qualem ex eo s. superiori dedimus) inve-
cat. re- neris, Magistrum bonorum operum, hoc apud te
rum. constanter teneto, ut nihil omnino quicquam præ-
ter illius sententiam facias: quicquid enim eo in-
sciente

„sciente facis, id furtum ac sacrilegium est, tibi que
 „exitium non autem utilitatem ullam apportat, esto
 „tu id bonum iudices: nam si bonum est, qui ita
 „clam fit ac non in aperto? mentem tuam tute di-
 „ligenter exquire quæ falsâ quadam specie boni
 „compilare te studet, atque ex eo nimirum, quod
 „cum utilitate aliquando non ejus præceptis obtem-
 „peres, iter tibi ad res pessimas gerendas munit. Hæc
 sanctus Cappadox. Cujus veritas subinde emicuit
 in Virginibus ex hoc uno capite ad nuptias etiam ad
 hæreses apostatis: ei namque Deus suam gratiam
 subtrahit, quæ, cum habere possit, & habeat Magi-
 strum ducemque animæ, eo tamen neglecto pro-
 priæ opinionis ceu præceptoris ductum sequitur.
 Unde Giezi lepra? nonne quia Elisæo dissimula-
 „bat ubi fuerat, quid egerat? dixit Elisæus: unde ve-
 „nis Giezi? qui respondit: non ivit servus tuus quo-
 „quam. At ille ait: nonne cor meum in præsentem
 „erat quando reversus est homo de curru suo in oc-
 „cursum tui? nunc igitur accepisti argentum, & ac-
 „cepisti vestes, ut emas oliveta & vineas & oves &
 „boves & servos & ancillas. Sed & Lepra Naaman
 „adhærebit tibi & semini tuo usque in sempiter-
 „num, & egressus est ab eo leprosus quasi nix. Un-
 de Ananiæ & Saphiræ mors subitanea? nonne quia
 cum D. Petro candidè non agebant? *non es mentitus* vs. 4.
hominibus sed Deo, illi oggerit Apostolus, qui *cecidit* vs. 5.
& exspiravit. Et quare hæc supplicia? nonne ut
 pateat, quantopere Deo exosa sit omnis duplicitas,
Væ duplici corde. Eam tu fuge: si vitia tua verè *Eccl. 2:14*
 oderis, si ames verè Deum & virtutes, candidè & sin-
 cerè agas cum eo, qui ea in te extirpare, has inferere

Apud
Aug.
Epist. 142
c. 21.

teque ad eum regiâ viâ perducere collaborat: „Nihil unquam in te fictum sit, nihil omnino fucatum, „(præscribitur Demetriadi Virgini) conscientiam „tuam, quæ certè Deo semper patet, in multitudine „versari puta: nunquam aliud corde, aliud animo præ- „tendas: quicquid pudet dicere pudeat etiâ cogitare. „

SECUNDÒ ei se OBEDIENTEM præbeat, quod namque Christianos omnes revera Virgines vel
Heb. 13 : maximè concernit: „Obedite Præpositis vestris &
17.

subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem „pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc „faciant & non gementes, hoc enim non expedit „vobis. *Obedite Præpositis vestris* omittendo quæ illi „prohibuerint & quæ suaserint vel præceperint ex- „quendo. *Et subjacete eis*, sine murmure aut rebellio- „ne acquiescendo eorum judiciis & consiliis. Scitis qui

Num. 14. cesserit Israelitis de suo Moyse querulis vel eidem ob-
Ibid. 16. streperis: aliâs à terra promissionis excluduntur
Ibid. 21. omnes, modò eos vivos terra absorbet, aliquando
in eosdem irruunt igniti serpentes. *Neque murmu-*

1 Cor. 10. *raveritis* hinc deducit Apostolus. *sicut quidam eorum*
10. *murmuraverunt & perierunt ab exterminatore.* Sci-
tis à quo delatus & positus fuerit Dominus super

Mat. 4:5. *pinnaculum Templi*, à Diabolo scil. qui Prælati suis
non obediunt vices Dei gerentibus (observat stella „in Lucam) supra pinnam sunt, non sub Deo: sed sicut „nullus locus excelsus est tutus, sic tu, qui contra „Deum cervice erectâ insurgis timere debes occa- „sum inferni. *Quoniam quasi peccatum ariolandi est „repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.*

1 Reg. 15: Sauli Samuel exponit. *Subjacete ergo eis*, id est, ve-
23. strum eorum iudicio, vestram eorum voluntati sub-
jicite,

jicite, est namque *obedientia* juxta Climacum *volun-* Gradu 4.
tatis sepulchrum. *Ipsi enim per vigilant, quasi rationem* de Obed.
pro animabus vestris reddituri, ideoque quæ illi im-
 probarint vel approbarint, ea ut profectui vestro no-
 civa repellite vel ut proficua recipite: proculdubio,
 si & ipsi animas suas salvas velint, non urgebunt ni-
 si quod saluti vestræ proficiat, vel impediunt, nisi
 quod eidem officiat. *Ut cum gaudio hoc faciant &*
non gementes. Quid? nonne iusto cordis dolori ma-
 teriam sufficit ea cogitatio, quòd, qui jam in coope-
 ratores se vobis offerunt & exhibent ad perfectio-
 nem ac salutem, vos iterum parturientes, cum Apo- Gal. 4:19
 stolo *donec formetur Christus*, Christi scil. vita & glo-
 ria, *in vobis*, in supremo iudicii die, si immorigeræ, si
 obstreperæ fueritis, Accusatorum partes agere debe-
 bunt fortè ad damnationem. „Rogamus autem vos
 „fratres, (obtestatur Apostolus,) ut noveritis eos qui 1Thess. 5:
 „laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, 12, & 13.
 „& monent vos, ut habeatis illos abundantius in
 „charitate propter opus illorum, pacem habete cum
 „eis, *animas vestras castificantes in obedientia cha-* 1Pet. 1:12
ritatis verùm lubet hîc iterum audire D. Basilium
 breviter complexum quicquid ampliùs hîc dici po-
 terat: „Ac si talem quempiam nactus fueris, (is in- Supra.
 „quit) tum verò voluntatem tuam omnem expuito
 „ac foras projicito, atque ubi hoc feceris dede te illi
 „ut sincerissimum veluti vas quoddam existas, què,
 „quæ in te fundantur virtutes, ad laudem Dei glo-
 „riamque ab omni vitio castas conserves: etenim
 „si eorum quibus antea detenebare animi vitiorum
 „residuum in te aliquid esse patiè, eaque quæ in
 „te infusa fuerint coacuerint, haud dubiè velut vas

contemptissimum foras projiciere. Hoc est, quod alterum nobis est cum oppugnatore salutis nostræ, Dæmone certamen, ut enim Præceptorum bonorum bona sunt etiam præcepta, ita quoque malorum etiam mala: ubi enim videt adversarius, noster hic improbus persuadere se nobis non potuisse ut in mundi confusione perditioneque maneremus, in eo jam omni conatu contendit ut nobis persuadeat ne nos vitæ demus perfectiori, neve ei nos Viro committamus qui nostra omnia peccata nobis ante oculos statuatur corrigatque: sed ut alicui nos credamus & gloriæ nimio plus avido, & propria vitia a similitudine quadam lenitatis erga familiares suos specie commendanti, ut hoc modo innumerabilibus nos denuo pravis animi libidinibus contra primum animi nostri propositum veluti vinculis irretiat. Quod si te Viro credideris virtutibus multis instructo sine dubio omnium, quæ in ipso bona fuerint, hæres remanebis, & æquè apud Deum & apud homines beatissimus judicabere. Si verò quod cum corpore tuo agere mitius volueris (audite hæc de nimio Superiorum vestrorum rigore querulæ, vel de uno ad alium ea de causa volaticæ & transultoriæ) Magistrum tibi aliquem quæsieris tecum se ad vitia tua demittentem, vel, ut verius dicam tecum unam in eandem perniciem corruentem, frustra mundanis rebus nuntium remittendi laborem suscepisti, qui vitæ te pravis libidinibus obnoxiaë mancipaveris, & cæcum tibi Ducem assciveris, cujus ductum secuto in foveam tibi sit procidendum, cæcus enim si cæco ducatum præstet ambo in foveam cadunt.

Hæc

Hæc sanctus Antistes ad Adolescentem quidem sed
 quæ & Virgines erudiant, ideoque habet hoc in hac
 materia Illustrissimus noster Rovenius, „ tollantur *Instit. L. 1*
 „ è medio ista duo, pertinacia in non obediendo & *c. 6.*
 „ fallacia erroneorum Magistrorum, nihil ulterius pe-
 „ riculi manebit in orbe terrarum: si omnes Magi-
 „ stri benè docerent, & omnes discipuli benè obedi-
 „ rent, nonne reformatus esset mundus? Tu itaque
 Virgo, quæ cogitas non sensum, non voluntatem
 tuam, sed quæ Domini sunt; quæ veram animæ
 corporisque tui sanctitatem intendis, tuo sis dire-
 ctori obediens, *obediens enim loquetur victoriam: au-* *Proverb.*
 di & sequere auream illam Kempæi Sententiam: *21: 28.*
 „ Multi sunt sub obedientia magis ex necessitate, *Imit. 9:*
 „ quàm ex charitate & illi pœnam habent & leviter *n. 1.*
 „ murmurant, nec libertatem mentis acquirunt nisi
 „ ex toto corde propter Deum se subjiciant: curre
 „ hîc vel ibi, non invenies quietem nisi in humili sub-
 „ jectione sub Prælati regimine: imaginatio loco-
 „ rum & mutatio multos fefellit. Munit enim pa-
 „ rum locus, (addit is alibi) si deest spiritus fervoris, *3. Imit.*
 „ nec diu stabit pax illa quæsita forinsecus si vacat à *27. n. 3.*
 „ vero fundamento status cordis, hoc est, nisi ste-
 „ teris in me, permutare te potes sed non meliorare:
 „ nam occasione ortâ & acceptâ invenies quod fu-
 „ gisti & ampliùs. Neq; sis ei per tuam inobedientiam
 aut oneri aut ad singultum: *Hoc enim non expedit vo-*
bis. Non enim sic plantavimus & rigavimus hortum
Dominicum in vobis, in hoc casu instat Præsul Hyp-
ponensis, ut metamus spinas istas ex vobis. *Epist. 109*

TERTIÒ denique agat cum eo CAUTÈ &
 CASTÈ, quò & ipse collimabit si crebriores acces-

fus evitet, si importunas confabulationes præcin-
 dat, ubiq; gustanda est cum mulieribus non continu-
 da præsentia, sed quasi transeunter fœminis exhibenda
 De Singu- lar. cleric. est accessio, ex S. Cypriano: proter vitatis enim jam
 cepta sunt repræsentari semper in medium, & perditio-
 nis meditatio est frequentativum inter mulieres celebra-
 re processum. Si non ambiat vel foveat, sed salutari
 metamorphosi affectum ejus in Deum transferat cum
 Joan. 3: illo, cujus vox erat: *Illum oportet crescere, me autem*
 30. *minui.* Affectus namque ex familiaritate conceptus
 De vera in carnalem facillimè degenerat: cùm enim fœmina,
 Virgin. ut scitè observat D. Basilus, masculi segmentum ac
 pars quædam sit, *stimulum cuique parti flagrantem-*
que cupidinem mutuae conjunctionis natura inseruit,
 L. 1. ad- quam proritat familiarior congressus. *Quomodo qui*
 versus ignem tetigerit, inquit S. Hieronymus, *statim aduri-*
 Iovinian. *tur, ita viri tactus & fœminæ sentit naturam suam, &*
 c. 4. *diversitatem sexus intelligit.* Tu itaque Virgo ama
 Directorem tuum, sed discernatur *serenitas dilectionis,*
 Confess. ut verbis D. Augustini loquar, *a caligine libidinis.*
 L. 2. c. 2. Ama eum sed non eum, at Sponsum tuum in eo
 ama eum, ut, qui te ad eum deducat, Sponsi tui Mi-
 nistrum. „ Diligere oportet eos, qui ad Sponsum
 Supra. invitant, (ad cautelam præscribit D. Basilus) sed
 ita diligere, ut charitas ipsa ordinata non confusa
 sit, ne fortè Sponsi famulos, dum jugiter illis aures
 admover de Sponso verba facientibus, perinde ac
 Sponsum quandoque diligens, quantum in se est,
 unà & Sponsi dignitatem tollat, & ministros ejus,
 dum eos pari cum Domino dignatur honore, inju-
 riis ac probris afficiat. Jam enim quædam minùs
 cautæ minùsque prudentes non æquè Sponsum ac
 Mini-

„ Ministros, sed ipsos amplius perversâ charitate im-
„ piè, dum non advertunt, dilexerunt, ac Sponsi jam
„ cui se desponderant penitus oblitæ famulorum ejus
„ Sponsæ totæ factæ sunt, imò nec Servorum ejus
„ Sponsæ sed alienorum fœdissimæ uxores evasere :
„ Sponsus enim noster carnalem nullum ministrum
„ habere cognoscitur, sed omnes spiritu viventes....
„ Puram, non ullius affectionis labe (allegato dile-
„ ctionis Proximi exemplo) inquinatam oportet ef-
„ se charitatem, nec decet nomen falsæ charitatis in-
„ sequendo veræ dilectionis dignitatem ac meritum
„ tollere : quamdiu enim charitatis ad Sponsum
„ tuæ gratiâ diligere deprehenderis fratres, & ad eum
„ & ad illos integra servasti charitatis jura, ubi verò
„ eos non Sponsi gratiâ, sed propter seipsos diligere
„ ex consuetudine ceperis ; dilectio tua & erga il-
„ lum corrupta prorsus efficitur, falsamque non ve-
„ ram habes germanamque charitatem, sancta enim
„ charitas carnis non tangitur vitiis : est autem Spon-
„ sa Domini non irrationalis, ut præ consuetudine
„ carnis dignitatem suam atque honestatem demittat
„ ad corpora, sed sanè rationalis totaque plena sa-
„ pientiâ : prudenter itaque seipsam pro merito sin-
„ gulis, quod est sui juris, impertiens librat, ac mi-
„ nistros quidem Sponsi rationabiliter illius gratiâ
„ honorat, ipsum verò non istorum causâ, quoniam
„ sibi de illo verba faciunt, sed propter seipsum ar-
„ dentiùs diligit. Sed &, si quis illius amator est,
„ hunc pro affectu ad illum eximio socium existimat;
„ qui verò illum amare negligit, eum, si blandiatur,
„ non jam intuetur ut proprium, sed ex ipsis maximè
„ blanditiis suspectum habet quod Sponsi negligens,

R §

cui

cui ipsa pro viribus vacat, simulato Sponsi famu-
latu illicit eam, dumque illi, ut Sponso placeat,
opem ferre videtur ad se amorem ejus jugi famili-
rique colloquio transferre nititur, ac sub ministri
nomine & habitu horrendo sacrilegio Christi
Sponsæ adulter efficitur. Hinc denique plurima
blando charitatis nomine paulatim ex ea consuetu-
dine ad carnis delapsæ vitia meretrices, adultera
nec solum fœdere à Sponsi cœlestis, verum & à legi-
timo mortalium thoro alienæ prorsus deprehensa
sunt. Sed hæc sufficiant.

Tu itaque Virgo sequere paternam Superi-
tui directionem: memineris Filii prodigi cum
domo & ex oculis solliciti sui parentis se subduxisset
non est quod meliora tibi pollicearis. Inimica pro-
priae opinionis propriaeque voluntatis amplexus
osa, obedientem ei te præbeas non necessitate vi-
quod taxat noster Rovenius, sed *obedientiâ chari-
tis*, quam commendat Apostolus Petrus. Omne
familiaritatem cum eo declines, neque ægrè fer-
(*Sanctus enim amor*, ex D. Hieronymo Epist. ad
versus Vigilant. *impatientiam non habet*) si & ipse
à conviviis tuis, excursibus, colloquiis &c. alienu-
præbeat ad exemplum ejus, de quo Discipuli mori-
bantur, quia cum muliere loquebatur, quique in-
cabat eis: *Expedi vobis ut ego vadam*. Suspecta
enim hæc conversatio, de qua fusè Seraphicus Bon-
ventura: „Caveant ergo & omni custodiâ servant
suum (instat D. Hieronymus) ne per sanitatem
dilectionis morbus charitatis introëat, & per amo-
rem sanctum fiat non sancta dilectio, quæ illos
pertrahat ad gehennam. Manus enim quantum-
cui

Reipub.
Christ.

L. 1. c. 43.
n. 1.

Joan. 4:
27.

Joan. 16.
v. 7.

De Profe-
ctu Relig.

L. 2. c. 27.
in c. 2. ad
Titum.

cunq; albæ sint si carbones contrectant ab illis coinquinantur, & quantumvis viridia sint ligna si multo tempore sunt in igne, aliquando tandem inflammantur. Pudeat revera eâ D. Hieronymi sententiâ nota-
 „ri, quam suæ ad Rusticum Epistolæ inseruit: „Vi- *Epist. 4.*
 „deas nonnullos... à mulieribus non posse discede-
 „re, sub eodem manere tecto, simul inire convivia,
 „ancillas juvenes habere in ministerio, & præter vo-
 „cabulum nuptiarum omnia esse matrimonii. Si piæ in-
 „structionis causam prætendas, idem ille subsannat te: *Epist. 12.*
Magister egregius contemnit Viros, despicit Fratres,
& in unius mulierculæ secretâ eruditione desudat.

§. III.

De Regula.

Cum Templum Hierosolymis exstrueret Salomon totam fabricam *ad regulam* factam referunt *3 Reg. 6.*
 sacri Annales. Virgo quæ in animæ suæ Solyma con- *35.*
 struet Templum spirituale, in quo commoretur Do-
 minus, ubi divinam Legem asservet, ubi resonet pia-
 rum aspirationum Cantica, ubi voluntatis suæ holo-
 caustum & bonorum operum Sacrificia jugiter im-
 molet, cujus Ædituum & Antistitem Pudicitiam
 „Tertullianus statuit, quæ nihil immundum nec *De Cultu*
 „prophanum inferri sinat, ne Deusille, qui inhabi- *Fœm nar*
 tat, inquinatam sedem offensus derelinquat. Ea
 Salomonem imitetur: Regulam, quæ actiones suas
 dirigat, habeat necesse est: hanc ei, qui ex D. Am- *L. 3. de*
 brofio Virgines honore provocat, magisterio docet, in- *Virg.*
 vitat exemplo. Præscripsit Apostolus: *Mulier in-* *1 Cor. 7:34*
nupta

- nupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu.* Hæc norma magni illius Legislatoris, cujus Regula Superioris tui non additamentum sed interpretem agit. Hæc Virginum gloria præ Religiosis omnibus, Status sui Initiatorum ipsum Dei Filium immediatè agnoscere: *Satis est ista nobilitas Familiae Virginali*, inquit D. Ambrosius: ab Apostolo Leges & Constitutiones suas accepisse: *Mulier innupta & Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*: habent hîc, quis finis Status Virginalis quo is amplectendus, animæ scil. & corporis sanctitas, id est interior & exterior, unde D. Ambrosius: *Non est Virginitas quæ pretio emitur, non virtutis studio possidetur.* Habent hîc ad quæ exercitia constringantur, ea scil. quæ animum Deo affigant, quæque eam sanctitatem proferant & foveant, *Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*: ea verò illis determinant Superioris sui Statuta. Cessent itaque eorum calumniæ, qui Virginum Institutum & Regulam **Willehes Ordre en Sinnehes Regel** convitiantur, & ut eæ evanescant efficias tu Virgo sollicitâ Regulæ tuæ & accuratâ observantiâ Sanctum Virginum propositum & cœlestis Angelorumque Familiae gloriam, (scribit D. Hier.) quam dumdam non benè se agentium nomen infamat: nonnullæ separata & absque arbitris quærunt hospitia ut vivant licentiùs, utantur balneis, *faciant quod volunt*, & devitant conscientias plurimarum. Earum numero ne te accenseas. „Væ Virgini, quæ non subest Regulæ, (comminatur magnus Athanasius) est enim tanquam navis gubernatore destituta: rupto siquidem cacumine mali jactatur „ à flu-

L. de In-
stit. Virg.
6. 17.

L. 5. Epist.
31.

Epist. 7.
ad Deme-
triam.

L. de Vir-
ginit.

„à fluctibus horum illorum, quum ducem non
 „habeat, donec offendat in scopulos & statim pereat:
 „ita est omnis Virgo quæ non habet quem vereatur.
 „Contra beata est Virgo quæ sub Regula est: est
 „enim tanquam vitis fecunda in horto ad quam
 „veniens cultor ejus palmites ipsius putat, illamque,
 „& irrigat, & putridas herbas circumcirca evellit:
 „illa autem nacta Operarium fructum suum reddit
 „pretiosum in tempore opportuno. Quo quid vis
 „amplius pro Obedientia quam superiori §. commen-
 „davi? & pro Regulæ observantiâ quam hîc urgeo,
 „quæ veluti in speculo tibi exhibeat quicquid officii
 „tui, quisque sit sensus & voluntas tui Directoris, cui
 „submissionm debes humilem ac promptam.

Affectas itaque indissolubilem cum Deo copulam?
 perfectam animæ ac corporis sanctitatem? Regulæ
 tuæ Statuta serves & sequaris: habet enim quælibet
 Ars præcepta & Regulas suas, eas habet Grammatica,
 Rhetorica, Dialectica, &c. quas sequatur oportet,
 qui eam ediscere, quique in ea perfici anhelat: habet
 etiam easdem Status Virginalis, revera Ars quædam
 excellentissima, quæ doceat unionem cum Deo Vir-
 ginum Sponso, virtutumque Exercitia, è quibus re-
 sultet vera animæ sanctitas; vis in ea perfici? hanc
 desideras? alliga te Regulæ tuæ: non eam hîc inter-
 fero quia omnium manibus teri suppono.

Sed quia nulla tam generalis, quin exceptionem
 patiatur, eandem & hæc admittet, idque triplici in
 casu, quem P. Hermannus Busenbaum in suo inter c. 16. §. 10.
 Spinus Lilio recenset.

PRIMUS est, si id requirat bonum Proximi:
 „Pro nulla re mundi, & pro nullius hominis dile-
 ctione

L. 1. Imit. c. 15. n. 1. Etione aliquod malum est faciendum, (scribit Kem-
 paus) sed pro utilitate tamen indigentis opus bo-
 num liberè quandoque intermittendum est, aut
 etiam pro meliori mutandum: hoc enim facto opus
 bonum non destruitur, sed in melius commutatur.
 „Si aliquid eorum, quæ tibi decerno, contingat
 omittere, (Fremiotæ Filix suæ spirituali sugger-
 Sanctus Gebennensis Antistes) ne propterea in
 scrupulum incidas: cæterum oportet omnia te ex
 amore facere & nihil vi: plùs amanda est obedien-
 tia quàm timenda inobedientia. Volo te spiritum
 habere libertatis, non illius quæ obedientiam ex-
 cludit, libertas enim carnis ea est, sed illius qui-
 vim, scrupulum & negotiositatem proscribit: cum
 aliqua sese offeret justitiæ & charitatis occasio, ut
 exercitia tua intermittas, volo id obedientiæ spe-
 ciem esse & defectum hunc ab amore suppleri. Vo-
 lo omnia absque operositate, & cum lenitatis man-
 suetudinisque Spiritu operè.

*Carolus
 Salesius
 in vita
 ejus L. 6.
 pag. 270.*

SECUNDUS est, si propria necessitas ut infir-
 mitas vel inevitabile impedimentum id exigat, quod
 est si occuperis in lavandis lineis, in mundanda sup-
 plectili, in purganda domo, &c.

TERTIUS denique est, si parentibus vel dome-
 sticis Superioribus debita Obedientia reluctetur,
 aut Directoris tui Licentia & Consensus dispense-

*L. 1. de
 Imit. c. 19
 n. 3.*

Aliàs si ex contemptu vel acediâ Regulam tuam
 transgrediaris aut negligas pessimè feceris: „Si pie-
 tatis causâ aut fraternæ utilitatis proposito quando-
 que consuetum omittitur Exercitium (habet Kem-
 pensis) facilè postea poterit recuperari: si autem
 tædio animi aut negligentia facilliter relinquitur
 satis

„fatis culpabile est & nocivum sentietur: conemur
 „quantum possumus adhuc leviter deficiemus in
 „multis. Horologium, ut bonum sit, nonquam
 quiescat à motu, sonet suo tempore & horâ: tur-
 batum est & delirat? jam usum non habet nec sine
 molestia sibi restituitur: instar Horologii est Virgo,
 quæ à divino servitio nonquam cesset, quæ suum Deo
 affectum & amorem perpetuò prodat: at ritè pro-
 gredietur? singula suo tempore & horâ fiant juxta
 Regulæ præscriptum. Aliàs cessat à motu in Deum,
 & hæret absque eo quod depressa animi pondera per
 nova quotidie motiva denuo erigantur? Ab ordina-
 ria revolutione aberrat per neglectum Exercitiorum,
 quæ Regula eo tempore præscribit & requirit? Deo
 invisus est & noxius tibi hic error.

§. IV.

De Confessione.

DUM Tabernaculum erigeret Moyses, præscri- *Exod. 30:*
 bit ei Dominus faciendum, quod & factum, La- *18.*
 brum æneum ponendumque inter Tabernaculum
 „Testimonii & Altare: „& missâ, (inquiens) aquâ *vs. 19.*
 „lavabunt in ea Aaron & filii ejus manus suas ac pe- *vs. 20.*
 „des, quando ingressuri sunt tabernaculum testi-
 „monii, & quando accessuri sunt ad altare, ut offe-
 „rant in eo thymiama, ne fortè moriantur, in cujus
 locum ædificato jam Templo mare fusile substituit Sa- *3 Reg. 7.*
 lomon: in quo, quod melioris hujus ædificii Archite-
 ctus Dei filius in Ecclesia sua erexit, Sacramentum Pœ- *Vide Ri-*
 nitentiæ figuratum Doctores statuunt, in quo Fide- *beram de*
 les *Templo l.*
2. c. 17.

Apo. 1:6. les, omnes mystici Sacerdotes, compunctionis agnoscere operum & affectuum sordes eluant, & imprimis Virgines, ut sic ex Melliflui Burgundionis consilio, quod *Serm. 2 in Virg. nat. Domini.* minus habet imperfectio conversationis, suppleat humilitas confessionis. Nolo contritionis motiva suggerere, confessionis qualitates docere, satisfactionis necessitatem urgere, cum id abundè egerim aliàs: ne tamen sine instructione, ubi ea vel maxime indiget, hinc Virgo deferatur, trinam subministro.

PRIMA est, ne à solo suo Superiore dependere eique soli inordinato affectu sit agglutinata: nolo suadere, ut eo relicto de uno divagetur ad alium, id namque perniciosum esset consilium, cum diversitas clavium feræ sit corruptela, nec nisi nauculum unicum navis gubernaculum admittat: Scio etiam utiliore Infirmo Medicum ordinarium, cui experientia constet Infirmi complexio & ægritudo, quàm si eo neglecto peregrinum quærat, unde & rorò videris optatam in eis sanitatem, qui hinc sunt In dividua vaga. At illud volo, dum is haberi non potest quia absens aut impeditus: vel si stationem mutet aut per mortem subtrahatur, ut tum ejus utatur operâ qui vices Ordinarii supplet, velin ejus locum surrogatur: plures hinc difficiles sunt easque retrahit ab exomologesi constantia malè constans: admitterent alienum conscientiae arbitrum, pœne impossibilis aut certè summè molesta est hæc variatio, idque malunt Confessionem ad tempus differre etiam sacra Communionem carere. Nonne hæc stupenda & culpabilis affectus immoderantia, seu potius stupida ignorantia, quæ Dominum propter ministrum negligat? quid namque in Confessarii persona atten-

dendum, nonne quod Dei vices agat, cui *is dedit mi-* 2 Cor. 5:
nisterium reconciliationis, qui in omnibus idem est: 18.
 Loquatur Præful Hipponensis, quem *Ecclesiæ Lin-* Hom. 23.
guam inscribit D. Bernardus: „daturus erat homini- Serm. de
 „bus Spiritum Sanctum, & ab ipso Spiritu Sancto fi- S. Stepha-
 „delibus suis dimitti peccata volebat, non meritis ho- no.
 „minum volebat intelligi dimitti peccatum: nam
 „quid es homo nisi æger sanandus? vis mihi esse
 „Medicus? mecum quære medicum. Nam ut hoc
 „evidentiùs ostenderet Dominus, à Spiritu Sancto
 „quem donavit fidelibus suis dimitti peccata,
 „non meritis hominum, quodam loco sic ait
 „resurgens à mortuis: Accipite Spiritum San- Joan. 20:
 „ctum & continuò subiecit: si cui dimiseritis 22.
 „peccata dimittuntur ei, hoc est, Spiritus dimittit vs. 23.
 „non vos, Spiritus autem Deus est non vos; Deus
 „ergo dimittit & non vos. Sin autem foveat vel ur-
 „geat hanc singularitatem Superior, quod à pluribus
 „fieri testis & censor est Illustrissimus noster Rove- Reip.
 „nius, ibi res non est integra, neque is Virginis profe- Christ. L.
 „ctum sed bonum proprium intendit, cuius fortè ali- 1. c. 43.
 „quod detrimentum subiret, si ea alterius operâ ute- n. 2.
 „retur: culpabilis hæc Zelotypia quæ Virgini negat
 „quod Sanctimonialibus præsentem etiam directorem
 „subinde concedendum præcipit Tridentinum, eis
 „præter ordinarium Confessorem, verba sunt Concilii, Sess. 25. de
 „aliis extraordinariis ab Episcopo & aliis Superioribus Reg. &
 „bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones Mon. c. 10
 „audire debeat, eâ tamen cautione addit Mantelius De Regi-
 „quam & ego pro Virginibus requiro: „Ut ne Ab- mine Mo-
 „salomo dissensionum & rebellionis adversus op- nial. pag.
 „timum patrem auctori similes se insinuent, qui o- 108.

S

leum

Curæ Pa-
stor. p. 2.
c. 8.

Tract. 12.
in Joān.

1 Cor. 3.

Tract. 2.
in Epist.
Joān.

In Vita

pag. 269.

leum igni affundant, tententque & venentur obsequiis, ut ille, corda filiarum Sion: quos gravē censurā perstringit D. Gregorius: „hostis, in-
quiens, est Redemptoris qui per recta opera, qua-
facit, ejus vice ab Ecclesia (cujus ex D. Cypriano il-
lustrior portio Virgines) amari concupiscit; quia
adulterinæ cogitationis est reus, si placere puer
Sponsæ oculis appetit, per quem Sponsus dona-
transmisit. „Væ illis (ait S. August.) qui oderunt
unitatē Ecclesiæ, & partes sibi faciunt in hominibus
audiant illum, qui volebat eos facere unū in uno ad-
unum audiant illum dicentem: nolite vos facere
multos, ego plantavi, Apollo rigavit, sed Deus in-
crementum dedit: sed neque qui plantat est ali-
quid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat
Deus. Illi dicebant ego sum Pauli, ego Apollo, ego
Cephæ. Et ille: divisus est Christus? in uno esto-
te, unum estote, unus estote. Ecce volumus esse tu-
dicebant Paulo. Et ille: nolo fitis Pauli, sed ejus-
estote cujus est vobiscum Paulus. Repellit ab amo-
re suo, habet idem alibi, ut Christus ametur, &
dicit: numquid Paulus pro vobis crucifixus est,
aut in nomine Pauli baptizati estis? quid dicit? nolo
mei fitis sed mecū fitis mecum estote, omnes illius
sumus qui pro nobis mortuus, qui pro nobis cruci-
fixus est. Qui Spiritus si ageret omnes nulla reveren-
tiae affectus immoderantia aut radicaret aut foveret
tur: egit is B. Salesiū cum diceret Fremiotæ suæ: me-
gnis profectò agor motibus ad directionem & curam
tui, scito tamen, O filia, si à Deo acciperem velle se-
lium ad id applicare muneris, deponerem hanc libenti-
simè curam, & te indifferenter in illius traderem manus

Tu itaque Virgo incurristi offensam apud tuum ^{2 Cor. 5:}
 Dilectum? ad Confessarium tuum propera, in quo ^{19.}
is posuit verbum reconciliationis: colligationes pecca-
 ti colligasti tibi imprudens? eum accede, cui eas da-
 ta potestas dissolvendi: is quidem præferatur, quo-
 cum tibi familiarior secundum interiorem hominem
 notitia; si haberi possit: sin verò absit, eum adhibe,
 qui absentis locum supplet: sin autem avocetur aliò
 vel ad felicem æternitatem abierit, succedat: & in
 curam tui ejus successor: Eliam sequatur Elisæus,
 cum Moyses vitâ simul & officio esset defunctus, ac
 Josue jus successionis obtinuisset, ei se submittebant
 omnes Israëlità: „responderunt ad Josue, atque dixe-
 „runt: omnia quæ præcepisti nobis faciemus, & ^{Josue 1:}
 „quocunque miseris ibimus: sicut obedivimus in ^{16, 17, 18}
 „cunctis Moyse ita obediemus & tibi: qui contra-
 „dixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermoni-
 „bus, quos præceperis ei, moriatur. Abeat quis-
 quis abire vult aut debet *Dominus in æternum per-* ^{Psal. 9: 8.}
manet, qui in Ministro solus considerari & agnos-
 ci debet.

SECUNDA est, ne Confessionale Tribunal exi-
 stimet Cathedram Concionatoriam aut Sedem Con-
 fabulatoriam: Scio aliquas querulas quòd sine allo-
 quio longiori dimittantur, neque ad votum diutius
 detineantur, at malè: nam cùm in Tribunali Pœni-
 tentiæ Sacerdos non agat partes Examinatoris neque
 Accusatoris, quas agere debet ipse Pœnitens, sed
 Præsidis & Judicis, quæ omnia fusè tradit Triden- ^{sess. 14.}
 tinum, certè ubi is post diligens sui scrutinium de- ^{c. 5. & 8.}
 licta sua manifestarit, non est quod agat Confessarius
 nisi quod remissionis sententiam pro potestate cla-
 vium

vium pronuntiet, & pro qualitate criminum & penitentis facultate salutare & convenientes satisfactiones injungat, quæ non sint tantum ex Concilii præscripto ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem: hæc est Ecclesiæ de Pœnitentia doctrina. Velle autem alienos immiscere discursus nonne id erit sedem Confessionalem in Confabulatoriam commutare? & urgentias instructiones eandem Concionatoriam facere? Quas proinde loco sup. cit. reprehendit Illustriss. Ro-

Num. 1. venius: Ad quid ergo Conciones pro Virginibus. Instructiones in Precibus si cujusque Confessionem nova debeat subsequi Prædicatio? Nolo tamen omnino informationem reprobare, scio namq; eam sæpius utilem imò & necessariam, eumque, qui judicem agnoscit, etiam esse Medicum qui cum Samaritano vinum conceptionis oleumque consolationis & instructionis animæ vulneribus infundat: sed superfluam solummodo à sede Confessionali extorrem urgeo & perscribo.

TERTIA denique est, ne per sacerdotalem Absolutionem vitiosos habitus opinetur tolli: is quidam sensus est etiam Vitia per Pœnitentiæ Sacramentum aboleri, ideoque suos quotidie lapsus per Confessionem enarrarent, dummodo iis audiendis Director vacare vellet. At error est & Sacramenti abusus, cum illud, licet fructus, id est, peccata excutiat, non tamen vitiorum arborem & radicem excindat aliud ad hoc necessarium antidotum ipsa experientia teste: quæ iracunda, garrula, inobediens, cerebrosa, &c. Confiteatur semel, iterum, imò decies & amplius.

ampliùs, non ideo fiet mansueta, amans silentii, morigera, &c. Sed manebit, qualis erat, iracunda, loquacula; immorigera: remittuntur quidem peccata iracundiæ, garrulitatis, inobedientiæ, sed eorum fons non exsiccat, neque radix, id est, vitium ipsum extirpatur: propriæ experientiæ magisterium id te docet: non cedunt ad verba Confessionis vitia inveterata: Habitus enim, ut Philosophia docet, non instantaneè sed per actus vel habitus contrarios, aut etiam omnimodam cessationem ab actibus expelluntur: à vitiis tuis, quæ te ad peccata sollicitant & inducunt, vis expediri? ea in te vis extinguere? ne obedias eorum tyrannidi neve iussu exequaris, oppone actus & virtutes contrarias, superbiæ humilitatem, iracundiæ mansuetudinem, inobedientiæ obedientiam, garrulitati modestiam, &c. Unica hæc via est, quâ te ab iis expedias ac liberam præstes. „Satis delicatè se palpat, (scribit Mel-
„leus D. Bernardi calamus) qui vult sine labore
„magno studioque continuo vel vitia superare vel
„virtutes acquirere: anima autem mole carnis pres-
„sa, sicut difficilè ad virtutes surgit, ita facilè in vitia
„cadit, quia ista in imo sunt, illæ verò in summa arce
„consistunt. „Suscipiendum est bellum contra vitia,
„& gerendum acriter ne ad damnabilia peccata per-
„ducat, (instat S. Aug.) & si quidem victoriarum non-
„dum consuetudine roborata sunt facilius vincun-
„tur & cedunt: si autem vincere & imperare con-
„sueverunt, laboriosâ difficultate superantur, neque
„enim id fit veraciter atque sinceriter, nisi veræ de-
„lectatione iustitiæ. *Suscipiendum est bellum contra
vitia & gerendum acriter, bellum irreconcilia-*
bile,

Psal. 88:
20.

bile, odium exitiale, nihil iis indulgendum: auxilium tibi manum Dominus offert qui dixit: *posui adiutorium in potente*: eadem namque gratia, quæ peccata profligat, etiam contra eorumdem infestationes

Rom. 7:
24. & 25.

te armat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore huius mortis?* inter medios conflictus quidam ingemiscebat, at animum suppeditabat & vires. *gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*, non te deserit qui te vult sanctam corpore & spiritu.

Ad Fratres de Monte Dei.

L. ad Martyres.
Matt. 26:
41.

Tu itaque Virgo, quoties ad sacram Confessionem accedis, non modò defectus tuos deplora, sed & in eorum scaturigines earumdemque excidium cum voluntate tua conspira: non sit nudum & perpetuum invalidum propositum: *Omnis enim vitii fructus siccatur rivus, si fons non fuerit obturatus*, ait S. Bernardus. ideoque operi manum adhibe: sentis naturæ luctum vel dolorem? memineris illius sententiæ quam habet Tertullianus: „Virtus duritiâ exstruitur, mollioriâ verò destruitur: scimus ex dominico præcepto, quòd caro infirma sit, spiritus promptus: non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit carnem infirmam esse: propterea enim prædixit spiritum promptum, ut ostenderet quid cui debeat esse se subiectum: scil. ut caro serviat spiritui, infirmiori fortiori, ut ab eo etiam ipsam fortitudinem assummat. „ Quo allegat illud ex Canticis S. Ambrosius

c. 5. v. 3.

Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? laceravi pedes meos quomodo inquinabo illos? (Vide, inquit)

L. de Virginitate.

Anima Deo devota quid dicat: sic se actus corporis & terrenos exuit mores, ut nesciat quomodo, etiam si velit, rursus possit induere: quomodo induam illam? hoc est quâ verecundiâ, quo pudore, quâ

„quâ postremò memoriâ? consuetudo enim boni
 „usum pravitatis veteris amisit. Lavi pedes meos,
 „quomodo inquinabo eos? non dicit: quomodo
 „iterum lavabo eos, sed quomodo iterum inquina-
 „bo illos? quasi oblita maculæ veteris, oblita con-
 „tagii: admonet igitur in ministerio corporali
 „quemadmodum spirituale debeamus actuum no-
 „strorum diluere vestigium. Itaque pedes cum se-
 „mel laveris æterni fontis irriguo, & mysterii mun-
 „daveris sacramento, cave iterum corporeæ cupidi-
 „tatis illuviem, ne lutulenti actus sordibus inqui-
 „nentur. „Nemo itaque à peccato tanquam redi-
 „turus abscedat, nec se huiusmodi quasi societatis
 „pacto cum iniquitate constringat, ut eam confite-
 „ri magis quàm cavere delectet: instat S. Augustin. *L. de Vir-*
gin. c. 49.

Pia te ad hoc necessitas compellit, etenim *Virgo co-*
gitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu:
 Conficit hanc sanctitatem Acedia, loquacitas, super-
 bia, iracundia, invidia, &c.? non certè, aliàs (quod
 L. I. adversus Jovin. c. 2. habet Hieronymus) *Virgi-*
nes quoque Vestæ & Junonis Univiræ in Sanctarum
possent ordine numerari; sed hæc veram sanctitatem
 vitiant, & ut præsens fætor unguenti suavitatem inficit
 & obscurat, ita vitium quoque virtutis adoptionem
 interfcindit, habet Gregorius Presbyter. Verùm eam *in Vita*
 parturit amor perfectionis, quæ vitia omnia subigat *S. Greg.*
 & exanimet, quæ virtutum semina plantet ac fuc- *Nazianz.*
 crescentia foveat: hoc studium, hoc Virginis sit ex-
 ercitiū: *Cogitat*, circa hoc versari & occupari de-
 bent ejus cogitationes, affectus & desideria: & *ut sit*
sancta, sive quò veram animæ sanctitatem adipisca-
 tur, eò omnia ejusdem opera debent collimare: *ut sit*

L. de vera *sancta*, nam (ut ait D. Basilius) Virginum Sponsa
Virgin. imprimis odit fucatam Virginitatis speciem & habet
L. de ve- tum, quam Ostentitiam inscribit Tertullianus:
land. Virg. Quicumque enim sunt Christi, inquit Apostolus,
Gal. 5:24. quantò magis quæ Christi sunt Sponsæ, carnem
 suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis, ut
 prædominantes, si odio salutari necdum extin-
L. de Vir- xerint, qua de causa D. Chrysostomo: *Radix*
ginit. c. 80 *Fructus Virginitatis vita crucifixa est*, nam tam
 gloriosius mens ad superiora promovetur, quantò de-
L. de Ope- ligentius ab inferioribus, juxta D. Augustinum,
re Monach. concupiscentia cohibetur. „ Si mei non fuerint,
Pf. 18:14 dominati (profitetur Regius Psaltes) tunc imma-
 culatus ero & emundabor à delicto maximo: &
 erunt ut complacent eloquia oris mei, & medita-
 tio cordis mei in conspectu tuo semper. Irritat ad
Hom. 8. hanc Vitiorum profligationem Eusebius Emissemus
 Monachos sententiâ gravi, sed quæ & Virgines inco-
 tet ac provocet: „ Interdiximus nobis diversas seculi
 voluptates, varios deliciarum sapes, in quibus
 erat aliquid jucunditatis atque dulcedinis, & nunc
 abstinere non possumus à superbia, ab ira, ab in-
 vidia venenatis passionibus, in quibus nihil est nisi
 quicquid amaritudinis atque rancoris est ... in ab-
 dicanda seculi jucunditate tam magna promissimus,
 & nunc maledicere, obrectare, moveri contra vilia,
 insuper & in hominē irasci & scandalizari, hæc vin-
 cere impossibile ac supra humanam putamus esse vir-
 tutem: sed quòd nunc in minoribus cedimus, per
 vitia nostra ipsi nos non accusamus: docemus enim,
 quod, quicquid hîc agimus non impossibilitatis
 est sed teporis: ideoque respiciamus ad fidem illam
 fervore

„fervoremque quo cepimus, & ad ornandum conversationis nostræ usum saltem de primordiis nostris sumamus exemplum. Si periculosum est non quotidie aliquid addidisse, quanto periculosius est etiam ab initiis recessisse!

Ne ergo ab aliena manu Vitiorum tuorum inter-
 necionem præstoleris, sed eam tu ipsa admoveas, &
 tanquam subsidiarios milites in corde tuo Virtutes
 conscribas, ac contra ea in campum producas. Fui-
 sti hactenus imbellis? vel nunc animos concipe, con-
 stet non sine fructu te usam Pœnitentiæ Sacramento,
 quodque divinæ gratiæ adjutorio, quâ te ibidem in-
 struit gratiarum Autor, intendas cooperari. Vul-
 neraris subinde? Prosterneris quandoque? nil nocet
 neque propterea animum despondeas: non enim qui
 vulneratur aut sternitur, sed qui hosti cedit, is vincit-
 tur. „Certa tanquam bonus miles (nomine Ago-
 notheres nostri monet Kempæus) & si interdum
 „ex fragilitate corruis, resume vires fortiores priori-
 „bus fidens de ampliori gratia mea. Verùm haud
 multum proficis? non, quomodo olim Saulis & Jo-
 nathæ, prosperantur & tui conflictus? de quo in eo-
 rum obitu David: *A sanguine interfectorum, ab adi-
 pe fortium, sagitta Jonathæ nunquam rediit retror-
 sum, & gladius Saul non est reversus inanis.* Non is
 te beat successus? non est quòd desperes victoriam,
 neque pusillanimitate victa animum abjicias, sed sit
 ad solatium tuum illud præcitati Kempæi: „Qui-
 „dam à magnis tentationibus custodiuntur, & in
 „parvis quotidianis sæpè vincuntur, ut humiliati
 „nunquam de seipsis in magnis confidant, qui in
 „tam modicis infirmantur. *Verùm nos ignoremus pœ-*

3. Imit.

6. n. 5.

2 Reg. 1.

22.

L. 1. de

Imit. c. 13

n. 8.

Epist. 7.
ad Deme-
triad.

Sess. 14.
c. 5.

Serm. 41.
de Sanct.
& alibi.

Hieron.
supra.

nitentiam, concludo & moneo cum D. Hieronymo ne facile peccemus, in gravioribus scilicet: nam venialia non necessaria, sed libera Confessionis sacramentalis materia sunt, quæ quamquam rectè & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione, dicantur, taceri tamen citra culpam multisque aliis, remediis expiari posse, docet Tridentinum: qualia ex calculo S. Augustini sunt opera misericordiæ & charitatis, jejunia, preces, venia delicti inimico concessa, &c. Illa, scil. Pœnitentia, quasi secunda post naufragium miseris tabula sit, in Virgine integra servatur navis: aliud est quærere quod perdidideris, aliud possidere quod nunquam amiseris.

S. V.

De Sacra Communione.

Gen. 24.
53.

REbecca Isaac in Sponsam delectæ per Abraham Servum varia collata munera referunt sacre Patrinæ: is prolati vasis argenteis & aureis ac vestibus, dedit ea Rebecca pro munere, habet sacer Textus. Virgini à se in Sponsam suam assumptæ Christus Dominus Sponsus liberalior, præter Xenia alia, seipsum in sacra Eucharistia Sacerdotum manibus donat, donum revera omnium, sive quæ in cœlo sunt, sive quæ in terra, maximum. Nolo hîc audias incredulos Capharnaitas modernorum Novatorum protoparantes, neque attendas ad eorum blasphemias, cum eodem titulo ac jure rejicere liceat Christum crucifixum, quem prædicatum (licet is sit Dei virtus Dei-que sapientia) Judæis tamen scandalum, Gentibus autem

autem stultitiam attestatur Apostolus: Sed, cui pa- ^{1 Cor. 1:}
 naceum suum Deum jam olim exprobravit Aver- ^{23. & 24}
 roës Philosophus Gentilis, cum totâ orthodoxâ Ec- ^{in 12. Me-}
 clesiâ captivato in obsequium fidei intellectu ac de ^{taphys.}
 pollicitationibus ejus & datis minimè dubia sub spe-
 ciebus eucharisticis Sponsi tui præsentiam agnosce,
 idèd venientis ad te.

Tum, ut tibi salutarî mutatione te convertat in se,
 id est, tuum amorem, tuum affectum, tua deside-
 ria, tuas intentiones inflectat & traducat ad se: ejus
 namque vox est: *Sicut misit me vivens Pater, & ego Joan. 6:*
vivo propter Patrem, & qui manducat me & ipse vi- 58.
vet propter me. Felices sanè, quæ hunc fructum ex
 ejus adventu decerpunt! quarum corda & affectus
 amicissimâ violentiâ sibi diripit pius Jesus! invitat
 te, ut venias ad se: *Venite ad me omnes, qui laboratis*
& onerati estis, & ego reficiam vos: sed quia tergi-
 versaris, ipse moræ impatiens venit ad te, ut confor-
 tet & sanet te, ut ignem divini sui amoris accendat in
 te: *Ignis à facie ejus exarsit,* inquit Psalter, *carbones Psal. 17:9*
succensi sunt ab eo. Hæc adventus ejus emolumenta
 sunt, dummodò tibi is gratus sit atque acceptus:
 ideòque (quæ eum complexu suo continet) Eucha-
 ristix sumptio *Communio* nuncupatur, quod in ea il-
 lam fumenti suas virtutes liberali beneficiâ com-
 municet. Verbo, venit ad te, ut ferat suppetias,
 quod per Apostolum suum exigit à te quò sis sancta
 corpore & spiritu, & ut suam tibi imaginem imprí-
 mat: *Ditissima illa natura* (ait S. August.) *summa Tract. 26*
nobis largita est munera, Sacramentum videlicet amo- in Joan-
ris, pacis, charitatis, ac divinæ nobiscum unionis. Eia ^{nem.}
 vel nunc tandem desiderium profectus & perfectio-
 nis

nist tuæ, quod habet tui amantissimus Jesus, intellig
& cum eodem concipe, non sit toties frustraneus ejus
ad te adventus neque recedat amplius re infectâ, non
ejus sed tuum est damnum. Probro caret nec vici
vertitur in seculo, licet differantur procorum vota,
hæc ludibria amoris incitamenta & incrementa sunt:
at amantissimi Jesu desideria nequaquam tardanda,
nunquam negligenda vel rejicienda ejus postulata
hæc moræ charitatis venena sunt. Dum itaque venit

Gen. 2: 7. ad te, & spiraculum vitæ suæ, ut olim Deus in homi-
nem è limo terræ formatum, inspirat in te, seu po-

Joan. 14. tius se, qui ipsa *Vita* est, tibi copulat ac unit, ne sis il-
v. 6. lâ terræ glebâ insensibilior, at fias in animam vive-
tem: pollicere ei & sta promissis cum illo, cujus vo-

Psal. 118: *Vivet anima mea & laudabit te, & judicia tua alle-*
175. *vabunt me. Et ipse vivet propter me:* Vitâ sanè indi-
gnus est, quisquis à Jesu & Jesu ipso, corporis scilicet
ejus eduliis & sanguinis ambrosiâ, enutritus & susten-
tatus non vixerit suo Nutricio ejusque solius mini-
sterio. *Et ipse vivet propter me:* hæc intentio, hæc
est ejus absoluta voluntas. At progrediamur & ag-
nosce ejusdem in Eucharistia præsentiam venientis
ad te.

Tum, quod in hunc locum reservavimus, ut & ipse
præsens, quam integram in te & illibatam unice de-
siderat, in propugnanda servandâque Virginitate
auxiliarem tibi manum præbeat, pravæ cogitatio-
nes peccati illices, si irruant, expellendo, vel exclu-
dendo ne incidant: Jupiter, quem D. Cyprianus
non cœlestis Regni sed vitiorum Principem inscribit,
aurei imbris fertur suscepisse formam, ut intra Virgi-
nis Danaës cubiculum admissus illi pudicitiam eripe-
ret:

ret: Castissimus autem Jesus panis speciem sumit, ut intra pectus tuum exceptus te puritatis ac sanctitatis suæ participem efficiat. Quâ de causa summum continentiae præsidium in S. Communione eamque contra impudicitiae venena præsentissimum alexipharmacum statuunt Ascetices Magistri ex Zachariæ va- c. 9. v. 17.
 ticinio qui divinissimum hoc Sacramentum *Frumen-*
tum Electorum, & *Vinum*, non in quo ex Apo-
 stolo est luxuria, sed *germinans Virgines* intitulat, cu- L. 1. de
 jus ebrietas (ex D. Ambrosio) *pudicitiae custos est*. Ex Cain c. 5.
 quo capite statuit Tridentinum: „ Attendant dili- Sess. 25. de
 „ genter Episcopi & cæteri Superiores Monasterio- Regul. &
 „ rum Sanctimonialium, ut in Constitutionibus ea- Monial.
 „ rum admoneantur Sanctimoniales, ut saltem semel c. 10.
 „ singulis mensibus confessionem peccatorum faciant
 „ & sacrosanctam Eucharistiam suscipiant, ut eo se
 „ salutari præsidio muniant ad omnes oppugnatio-
 „ nes dæmonis fortiter superandas. Quod, licet Mo-
 nialibus præscriptum quibuscum nihil nobis nego-
 tii, prodit tamen, quo æquè indigent Virgines no-
 stræ, de Eucharistiæ præsidio ad continentiae tuta-
 men universæ Ecclesiæ sensum: ad cujus frequentio-
 rem usum Sanctos Patres idcirco Virgines non ex-
 hortatos suspicor (altum enim de eo apud illos silen-
 tium) quod ex consuetudine Ecclesiæ suo adhuc tem-
 pore Fidelibus omnibus esset quotidianus, adeoque
 actum agerent. Contemplare hîc sollicitam Dilecti
 tui curam flagrantissimæ charitatis argumentum:
 viscera dilectionis & misericordiæ plenissima: quod
 te sibi integram reservet, carnis suspiria & desideria
 retundat, libidinis ardorem extenuet, virginitatis
 ac puritatis amorem ingeneret & foveat, ecce virgi-
 neam

neam suam carnem de virgine conceptam, de virgine natam, & à virgine lacte virgineo enutritam tu in nutrimentum concedit, ejusque qualitates, ut ebus corpori, in te transfundere connititur, etenim

1 Cor. 6: secundum Apostolum *unus* cum eo *spiritus est*

17. *qui Domino adhæret*: Ante Arcam Domini corru

1 Reg. 5:3 Dagon & sistitur exsiccaturque Jordanis. Magla

Josue 3: lena nota in civitate peccatrix ubi familiaritatem

16. *isse cum Virgineo Jesu, & hic apud eum frequen*

diverteret & illa eum in domum suam exciperet,

ipsa hospita ille conviva, non tantum charitatis ser

vorem, sed & extincto *diabolico incendio* (qua ph

Hom. 62. libidinem honorat D. Chrysost.) continentiae nitore

in Gen. assumpsit, neque enim ante immaculati Agni prefe

tiam immundus fornicationis spiritus stare potuit

Luc. 15: Filius adolescentior prolapsus est totus etiam usque

13. ad amplexus meretriceos, cum non jam amplius

terno pane reficeretur: eo pane sustentetur, in

præsidio muniatur oportet, quæ ad carnem defici

re non vult: casti amoris brachiis in hoc puritate

fonte Puritatem ipsam amplexetur, mutua sit unio

Ad divortium sollicitaris? eadem, quæ ex Ambro

Serm. 90. fio D. Agnetis, sit & tua responsio: discede à me

fomes peccati . . . discede à me, quia jam ab alio

amatore præventa sum, qui longè te nobilior &

genere & dignitate: non ergo potero ad con

tumeliam prioris amatoris vel aspicere alium, &

illum derelinquere cum quo sum charitate

devincta: *quem cum amavero casta sum, cum te*

tigero munda sum, cum accepero Virgo sum. Non

Serm. de te decipiant promissa vel inescant munera,

S. Agnete. *quia Christi amor, ex D. Maximo, pecuniarum non*

habet

habet pretium: Ideoque ea licet careant blanditiis, tibi semper suspecta sint, „oblata sub specie pietatis „virorum munuscula, (instat præcitus Taurinensis „Antistes) totâ intentione respuite, & quasi rabidi ^{supra} „canis morsus omni cum gaudio recusate: à quo „non receperis quò timeas Deum, non accipias quò „diligas mundum. Accipe Virgo sed quod amori „æterno proficiat: quotiescunque ab homine con- „secuta fueris censum, accipe ut te Christi cognoscas Sponsam, ei devincta es nec jam ultra aliis vendibilis aut venalis: quo intuitu donaria omnia, litterulas blandas & nugas alias expertissimus simul ac sanctissimus Virginum Moderator Hiero- ^{Epist. ad Neopoz:} nymus à sancto Amore proscribit: qui tibi munificus, is verè maleficus est aut esse vult: sufficiat tibi cum Anna Tobie conjuge paupertas tua, si, ut illi ^{Tob. 5:25} filio suo, tibi liceat frui suavissimo dulcissimi Jesu commercio eumque solum divitias tuas computa, *nihil tibi opus est*, Uxori suæ præscribit Tertullianus, L. 1. *si Domino, appareas, imò omnia habes si habeas Dominum, cujus omnia cœlestia recogita & terrena despicias*. Nihil sufficiet, cui is non sufficit. Neque ad aliorum fallaces lenocinationes, sed ad hujus solummodo castissimos affatus ac salutaria consilia attendas, frustra cœteroquin suscipis pudicitie præsidem ac præconem, si aliunde intromittas & patiaris impudicas suggestiones.

PARS I.

De Necessaria prævia dispositione ad sacram Communionem.

Cum apud Sunamitidem frequenter diverteretur
 ejusque panes reficeretur propheta Elisæus, dicit
 4 Reg. 4: ea ad Virum suum: Animadverto, quod vir Dei sanctus
 9, & 10. est iste, qui transit per nos frequenter: faciamus
 ergo ei coenaculum parvum, & ponamus ei in
 eo lectulum & mensam & fellam & candelabrum,
 ut, cum venerit ad nos, maneat ibi: Vilis quidem &
 exiguus apparatus, attamen huic Prophetæ gratissimus:
 quo &, si in hospitio cordis tui ei simile preparaveris,
 Christus Jesus non advena apud te, ut ipse apud
 illam, sed Dominus benignissimus & Spiritus tuus
 prædilectus, per sacram Communionem frequentissimè
 apud te divertens non ut reficiatur te, sed sine tuis
 impensis & onere atque sua carne suoque sanguine
 reficiat te, contentissimus erit. Dum autem dico, eum
 per sacram Communionem divertere apud te suppono
 evidenter, non te per peccatum incurrisse ejus
 offensam aut ex ejusdem gratia excidisse: tales
 namque is, qui prohibuit Sanctum dari canibus aut
 margaritas mitti ante porcos, designatur: cum
 Magdalena eæ non ad osculum profiliant (osculum
 cæteroquin non amicitiae sed Judææ) at poenitentiae
 lachrymis offusæ pedibus ejus obvolvuntur: cum
 Publicano indignas se arbitrentur quæ vel oculos in
 cælum levare audeant, nedum cælorum Regem
 hospitio excipere: pectus assiduò percutiant non
 idoneum existiment, ut sedem Christo præbeat denique

Matt. 7:6

denique satis superque habeant si Deum exorare liceat, ut eis propitius sit, non tantum sibi arrogant, ut ad maxima illius beneficia confestim aspirent, à quibus proinde corpori Christi & sanguini vim inferri & juxta præmonitionem Apostoli properatæ Communionis venena sumi ad D. Cyprianum scribit Clerus *Epist. 30.* Romanus. Vivant vitâ charitatis, quæ (ideo sic dictum) *vitæ panem* accipient: careat pectus illud criminum sordibus quod pretiosissimi corporis & sanguinis Christi erit gazophylacium. At frustra hîc sim fusior cùm non ad Adulteras, ut spero, sed Christi Sponsas nobis sit sermo.

Tu itaque, quæ una ex eis es, quas præsentia suæ majestate honorat & visitat amabilis Jesus, Sunamitidem æmulare & primo quidem Cœnaculum para, ubi suâ is gaudeat libertate, Cœnaculum scil. cordis tui, ab immodica & noxia sollicitudine illud evacuando omnemque curarum & cogitationum secularium strepitum excludendo: exulent & cessent illæ pro hoc tempore, sit ibidem spiritualis solitudo. Querit tale & amat, quid namq; causæ fuit quòd in primo suo in mundum ingressu ei apud Bethleemitas in diversorio locus non esset? *Non erat ei locus in diversorio*, habet Evangelium. Cur exinanitus Rex *Luc. 2: 7.* gloriæ pro palatio suo vile tugurium elegit? sanè non secessit in ruinosum illud mapalæ, quòd hospitium aliud obtinere non posset, in cujus ditione omnia posita erant, quemque *universorum hæredem*, ut Apostolus loquitur, jam Pater constituerat: sed ut, si eum hospitem tuum velis, quasi in prototypo te instrueret non debere cor tuum esse veluti hospitium publicum omnibus patulum, ubi nullum silentium, nullaque

T

laque

Joan. 6:
& alibi.

laque quies ob cogitationum & phantasmatum frequentiam, sed veluti locum solitarium & compressi mentis evagatione ab omni tumultu sejunctum: ideo namque, Eucharistiæ typum, paucis panibus multorum millium pastum in desertis præmisit, & in Cœnaculo selecto, ubi nulli nisi Communicari aderant, divinissimum illud Sacramentum instituit: hæc imagines sunt, in quibus videas, quid ejus usu à te requirat. Pateat itaque totum cultuum, & ei, qui à te ex toto corde diligere desiderat, soli pateat dum in Amoris Sacramento ad te intrabit: *Ego Dilecto meo*, quæ erat Sponsæ, eadem & vox tua, & *ad me conversio ejus*, cum eadem discere poteris.

L. 1. de
Virgin.
c. 1. v. 15.

Pf. 18: 6.
Serm. 3 de
Vig. Nativ.
tit.

SECUNDO, eo intuitu quò apud te morem in cordis tui Cœnaculo ei, Sunamitidem æmulam thalamum adorna, non ex sola Castitate, qualem designat Ambrosius, sed ex virtutibus reliquis, quæ in Canticis Sponsa *floridum* intitulat, *Lectulus noster floridus*: quod non ex solis Continentiæ Liliis, sed ex omnium virtutum floribus conficiatur, in quo solo quies illi grata & possibilis: ea namque de causa non in solius Virginis utero (quem Psalter *Familia Spiritus Sancti Organum*, ut eum vocat D. Bernardus *Thalamum* inscripsit) sed & Virginis gratiæ plenius mortale suum corpus ex ea assumptum deposuit, tum ad cautelam, idem illud jam passionis expers immortale ac gloriosum si in sinu cordis tui velis deponere ut ei simile reclinatorium procures: non est quod contra excipias, dignus est etenim. Condoles in cavila Bethleëmica in stramine fœnoque reposito: condoles sine dubio durissimo Crucis lectulo incumbenti:

ti: verum tu ei in cordis tui penetralibus meliorem thalamum adorna: cave proinde ne & in te hæc ejus querela locum habeat: *Vulpes foveas habent & volu-* Matth. 8:
tres cæli nidos, Filius autem hominis non habet ubi ca- 20.
put reclinet.

TERTIÒ mensam ibidem colloca, in qua is, quibus ad te onustus appropinquat, gratiarum suarum farcinas deponat: non enim vacuis, ut ajunt, manibus venit aut indigus tui, sed ut thesauris suis (in quibus ex Psalmo *abyssi*) ditet te: si Obededom eam exce- 37. vs. 7.
perit, hujus Arcæ benedictio non deerit: qui seipsum tibi donat sua non denegabit. Deinde ut ex eadem reficiat te: *Si quis audierit vocem meam, & aperue-* Apoc. 3:
rit mihi januam, inquit, intrabo ad illum, & cæna- 20.
bo cum illo & ipse mecum: ideò divinissimum hoc Sacramentum *panem, panem vivum, panem vitæ, cibum* denique & *potum* intitulat: hæc illa mensa quam Joan. 6.
parat in conspectu tuo adversus eos qui tribulant animam tuam: hæc illa Esca, quam concedit timentibus se quaque esurientes bonis omnibus replet & satingat. Illustrissimus *Sasboldus* Proto-Vicarius noster magnificè proculdubiò adhuc puer hîc fuerat exceptus & summâ spiritus dulcedine oblectatus, ut tum aliàs sæpè, tum brevi ante mortem vehementer optaret: „Utinam semel mihi adhuc ille suavitatis Tritius
„sensus obveniat, quo me in prima Communione in Orat.
„puerum divina Benignitas perfudit! Quæ autem funebri
hæc mensa, quam hisce thesauris hisce epulis sub- pag. 1.
sternas, nisi inflammata desideria quibus Eucharistiam excipias? hæc in cordis tui Tabernaculo au- Exod. 25.
rea illa Mensa sunt, in quibus divinus ille propositionis panis deponendus.

QUARTO Sellam in eodem procura, non aliam
quàm voluntatem tuam: non in ea resideat Amor
6.18.7.30 proprius, à voluntate tua avertere suggerit Ecclesia-
sticus: at eam offer, eam illi subijce, qui suâ te præ-
sentiâ dignatur: damnanda sanè illa inhumanitas,
quæ hoc eum officio non humillimè ac promptissi-
mè honorat, qui proinde non vult quemquam ce-
lesti hoc pane vesci nisi eam antecesserit, quo sensu
in Oratione, quam docuit, petitioni Panis, quem
Hom. 42. eucharisticum Augustinus & alii PP. interpretantur,
præmitti voluit plenariam voluntatis resignationem
Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Illi que-
Joan. 13: dam vice non malevolâ, sed humili inobedientia Pe-
6. & 8. trus obluçtabatur, ei dicens: *Domine tu mihi la-
Serm. 2. pedes?* Juxta Melliflui Scriptoris Paraphrasin:
de Cæna Creator Creaturæ & Deus homini? Dominus
Domini. servo, Magister Discipulo? imò ei qui factus est ex
limo, ille qui fecit omnia ex nihilo? Surge Domi-
ne, surge Deus meus, quid vis facere? non pos-
sum sustinere, non possum ferre. Oculi mei te vi-
dere refugiunt sic proclivum, sic prostratum ante
pedes meos. Surge Creator, surge Deus meus. Sur-
ge lux mundi, vita mea, gloria mea: noli facere
quod te video facere velle. *Non lavabis mihi pedes in
æternum.* Quid hîc Jesus? *Si non la vero te, non bi-
bebis partem mecum.* Tantus hîc rigor obtinet.

QUINTO denique adsit Candelabrum, sive, ut
Luc. 12: alibi præscribitur, *Lucernæ ardentes in manibus ve-*
35. *stris.* Non enim nisi cum ardentibus lampadibus Vir-
Matt. 25: gines intrant cum Sponso, quas conficit ardentissima
10. Charitas: si namque *Lucerna Impiorum peccatum,*
Proverb. 21: 4. certè flagrantia Charitatis erit lampas Justorum: Ca-
stita

stitas sine charitate, scribit Mellifluus Burgundio, *Epist. 42.*
lampas est sine oleo; subtrahere oleum lampas non lucet,
tolle charitatem castitas non placet: absque ea obscu-
rum est horridumque Cordis tui Cœnaculum: non
est sine Lucernis Arca in Tabernaculo, nec in Eccle-
siis Eucharistia sine lumine, neque sit illa sine fla-
grantissimæ Charitatis face in pectoris tui san-
ctuario.

Eâ in anima necessarius est omnis hic apparatus,
quam suâ præsentia suoque contubernio pius JESUS
honorabit: Paulus ab ipso hîc edoctus sollicitè idcir- *1 c o. 11*
cò monet: *Probet seipsum homo, &, ne quid horum* *23.*
desit, sollicitè attendat: non venit, seu potiùs venire *vers. 28.*
non vult nisi expectatus, & omnibus in ejus adven-
tum jam ante præparatis: *Quæ paratæ erant intrave-* *Matt. 25:*
runt cum Sponso ad nuptias, imparatis autem occlu- *10.*
sa est janua. Tu itaque Virgo ad eum excipiendum
te præpara dum ille ad adventum paratus est, & apud
te præparata jam omnia ardentissimum præsentia
ejusdem desiderium significet, ex Psalmo: *Paratum* *56: 8.*
cor meum Deus, paratum cor meum. Tuus ei in oc-
cursum prodeat affectus, illum humanissimè invi-
tans: *Veni Domine Jesu,* & cum summa animi humi- *Apoc. 22:*
litate ac gaudio in cordis tui conclave introducens. *20.*
In Bethania in Castello Marthæ & Magdalenæ is erat *Luc. 10:*
apparatus, & eum excipientium affectus, ideòque *Joan. 12.*
frequentius illas invisebat ibique hærebat diutius. *12.*
Amas verè Jesum? eum pectoris tui hospitem desi-
deras? cave ne eum malè habeas, non deerit, utpo-
te tuæ indigentia conscius, in prærogandis suppetiis
& sumptibus, quibus dignè eum excipias, qui non
nisi dignè vult excipi. „ Scito tamen (calamo Kem- *4. Imit.*
12. n. 2.

pai is loquitur) te non posse satisfacere huic præparationi ex merito tuæ actionis, etiam si per integrum annum te præparares & nihil aliud in mente haberes: sed ex sola pietate & gratia mea permitteris ad mensam meam accedere, ac si mendicus ad prandium vocaretur divitis, & ille nihil aliud habeat, ad retribuendum beneficiis ejus nisi se humiliando & ei regratiando. Fac quod in te est, & diligenter facito, non ex consuetudine, non ex necessitate, sed cum timore & reverentia & affectu accipe corpus dilecti Domini Dei tui dignantis ad te venire. Ego sum qui vocavi, ego jussi fieri, ego supplebo quod tibi deest: veni & suscipe me.

P A R S II.

De Agendis post Sacram Communionem.

Joan. I:
II.

INter alia, quæ Judæis vitio data, recenset Evangelista Joannes, quòd Christum Dominum ad se sive in propria venientem non receperint, *in propria venit, & sui eum non receperunt*, eum, quem cum tanta impatientia fuerant præstolati, quem tot voce coelo extorserant: infanda inhumanitas! eadem tamen excusanda, quòd è malè intellectis Vaticanis non humilem at seculi pompâ superbum præstolarentur. Quæ Jesu magis propria, quæ magis sibi quàm Virgo? utpote quæ & Ancillam & Sponsam ejus se jactat: huic is, licet sub vilibus eucharisticis speciebus, non incognitus: ne ergo, Judæis similis, inhumana noteris, quòd in sacra Synaxi ad te & in propria sua venientem, non inexpectatò at desideratum

ratur invitatumque, debito honore non exceperis, ad cautelam hæc tibi documenta ferviant.

PRIMUM: ei, intra te collecta, te comitem ac sociam præbeas: qui gratissimum hospitem omni quidē benevolentia excipit, at eo solitario relicto mox ad occupationes suas regreditur, peccat is in leges urbanitatis ac comitatus: ratio exigit ut ejus lateri adhærescat, ejus ministerio se devoveat ac vacet, quem magnis dilectionis affectibus in suum domicilium adduxit: ideoq; Virgines illæ non modò exhibant obviam Sponso, sed & intrabant cum eo: & quæ occurrerant, lateri ejus in domo adhærent Maria & Martha; nec eum solum Cleophas & socius in diversorium Emaunticum impellunt, sed & ei indivulsò adhærescunt: non eum gravat sed delectat hæc societas, ambit illam & requirit; quod ut scires, rarissimè solus egit in terris, vix natus mediâ adhuc nocte per Angelos Pastores advocat: recale vitam ejus, & rarò sine comitibus Jesum inveneris, nullibi ferè solitarius est: in præsepio inter Mariam & Joseph: in Templo medius inter Doctores: apud Sichar cum Samaritana: in Thabor inter Eliam & Moysen: in Cœnaculo, in hortu Gethsemani cum Apostolis: imò & in Golgotha, cum alii abessent vel starent à longè, ne solus deprehenderetur, familiaritatem iniit cum altero supplicii sui socio, eumque in Amicorum suorum album inscripsit. Nec sufficebat ei in domo Simonis convivantium societas, ideò Magdalenam advocat, quæ eâ gratiâ indignam se reputans ad pedes ejus pervolvatur: „Lachrymis quidem antiquam flagrantis „concupiscentiæ voluptatem in se prudenter exstinguens & consenescere faciens, affectuque egregio

Luc. 7. 38

*L. de vera
Virgin.*

in Dominum & sanctis osculis spiritum animæ vehementer accendens, interprete D. Basilio. Verè Domine Jesu deliciae tuæ esse cum filiis hominum, utinam & nostræ esse tecum! tuæ saltem sint ô Virgo, &, ne justas querelas parturiat tua inhumanitas, modis omnibus allabora.

SECUNDUM: humillimis gratitudinis affectibus gratiam, quâ is te beat, agnoscas & venereris. Joannes Baptista, cùm tantùm appropinquaret Jesus, exultavit
ibid. v. 43 *infans in utero matris* suæ: & illa: *Unde hoc mihi* *veniat mater Domini mei ad me?* & ipse jam adultus
Matth. 3: 14. *& tu venis ad me?* eadem & amplior tibi gratia prærogatur, sit & eadem imò amplior gratitudinis significatio quâ illi respondeas: quàm eum malè habebat
Luc. 17: 17. & 18. cùm è decem, quos à lepra mundaverat, ad gratiarum actiones non nisi unicus reverteretur: hoc beneficium inter & illud, quo te dicit, nulla proportio est: fuerat usus in illos tantùm potentiæ suæ auctoritate, tibi autem charitatis suæ plenitudinem affundit, imò & præ amoris exuberantia se & omnia sua in potestate tua consignat, idcirco Tridentinis Patribus dictus *divitias divini sui erga homines amoris velut effudisse.* Beneficium præstat & ad gratitudinem eum obligat, quisquis alterum invitaverit amicè, exceperit benevolè & habuerit commodè: at hic contrarium obtinet, te sibi devincit piissimus Jesus, quòd te suâ præsentia dignetur: non illi à te, sed tibi ab eo gratia indulgetur, tantùm ne eam dissimulaveris, animum induas gratitudinis plenum: *Quid est homo, ante hanc indulgentiam admirabundo ore quidam exclamabat, quòd memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum?* tibi affluit uberior admiratio-

Psal. 8: 5.

est homo, ante hanc indulgentiam admirabundo ore quidam exclamabat, quòd memor es ejus, aut filius hominis quoniam visitas eum? tibi affluit uberior admiratio-

rationis vena, gratitudinis scaturigo fecundior, ideoque, quantâ potes, reverentiâ & religione eum adora, venerare, exosculari, immensamque illius bonitatem recale, qui te Majestatis suæ præsentia honorare, visitare, illuminare, & sanctificare dignatur: profundissimæ humilitatis & humillimæ gratitudinis fomentum sit hæc consideratio.

TERTIUM: veniam petas, quod ad eum excipiendum non te majori diligentia præparaveris: magna hîc industria necessaria, in typo id te edocet fabrica Tabernaculi & Templi: *Domum tuam*, dicebat Psalter, *deceat sanctitudo Domine in longitudinem* Ps. 92: 5. *dierum*, & ejus in te notabilis etiamnum defectus ac magna penuria; plurium impurarum affectionum vitiorumque sordes adhucdum hærent in cordis tui Cœnaculo, exiguus est & modicus virtutum apparatus qui tuæ mentis conclave exornat: verum non hîc necessariæ multæ excusationes, eos non curat: novit is multa dissimulare, dummodo viderit sincerum & minimè fucatum cordis affectum quod est radix & vinculum omnis amicitia, etenim inter bonos est benè agier. Verum, quæ defunt, in eorum supplementa incumbere: vires omnes, membra ac talenta tua in ejus obsequium offer: quomodo *Martina*, cum eum in domum suam excepisset, *satagebat circa frequens ministerium*! Tres Angeli ad ejus instantiam apud Abrahamum diverterant, & tota familia ac quicquid erat in ea in eorum ministerio subdabat: ferveat in te idem studium, quæ non Angelos, sed Angelorum Dominum imò & dilectissimum Sponsum tuum hospitaris: *Siergo magnum honorem conjugibus deberetis*, argumentatur S. Bernardus, *De Pass. Domini* c. 31.

T 5

dus,

duſ, quantum amare debetis eum propter quem con-
ges habere noluiſtis? cui gratiſſimum, ſi ſummâ animi
contentione te ejus miniſterio impendas, à quo om-
nis ſacræ Communionis fructus dependet ac di-
manat.

Q U A R T U M : Spirituales tuas neceſſitates ei ex-
ponas, auxilium & ſubſidium ab eo depoſcas: ne re-
recunderis neque verearis notam impudentiæ: op-
portuna hic omnis importunitas, non culpabilis im-
laudabilis omnis cupiditas, quæ quò major eò me-
lior, cùm is nullibi liberalior ſit quàm in ſacra ſynagoga,
ideòque ad te veniat, ut tibi ſe beneficum exhibeat
& in te divitiarum ſuarum theſauros latiſſimâ manu
diſpenſet. Hoſpitæ ſuæ (de qua in ſuperiori §.) dicet.

4 Reg. 4: Eliſæus: *Ecce ſedulè in omnibus miniſtraſti nobis,*
13. *vis ut faciam tibi?* idem & tibi ab animæ tuæ Hoſpi-
te offerri exiſtima, inauditum enim eſt alicubi fuiſſe
Jeſum & non fuiſſe beneficum, etiam inter hoſtes
gladios & vincula ſanat vulneratum Malchum: non
niſi à beneficia nolentibus benefactrices ejus manu
ligantur. Dum itaque ait: *Quid vis ut faciam tibi?*
humili confidentiâ ei tuas expone neceſſitates
illas nemo te meliùs novit, quas te edocet quotidia-
na tua meditatio & conſcientiæ Scrutinium veſpe-
tinum. Deeſt tibi aliqua virtus? roga eum, ut
divinæ ſuæ gratiæ opibus cumulet, quò eam ab-
pifcaris: *Benedictio Domini divites facit, nec ſocietur
eis afflictio.* Expugnando alicui vitio incumbit
ſuppetias & victoriam efflagita, *gaudium etenim Do-
mini eſt fortitudo noſtra:* commeatum tuum tibi ſup-
peditet ſacra Communio, hæc eſt enim, juxta D. Au-
guſtinum, *Annona præliantium de horreis inventa*

Proverb. 10: 22. *tu eis afflictio.* Expugnando alicui vitio incumbit
ſuppetias & victoriam efflagita, *gaudium etenim Do-
mini eſt fortitudo noſtra:* commeatum tuum tibi ſup-
peditet ſacra Communio, hæc eſt enim, juxta D. Au-
guſtinum, *Annona præliantium de horreis inventa*

2 Eſdra 8: 10. *mini eſt fortitudo noſtra:* commeatum tuum tibi ſup-
peditet ſacra Communio, hæc eſt enim, juxta D. Au-
guſtinum, *Annona præliantium de horreis inventa*

in Pf. 143 *peditet ſacra Communio, hæc eſt enim, juxta D. Au-
guſtinum, Annona præliantium de horreis inventa*

dominicus. Adhuc infirmaris sæpiùs? medicam manum implora ex Psalmo: *Dic animæ meæ, salus tuæ ego sum*. Deficis subinde? emendicare ut supersubstantialis ille panis cor tuum confirmet. Verbo, quocunque & in quocunque indigueris piissimi Jesus auxilio, liberè effare: qui se tibi donat, non negabit quod ad profectum & salutem tibi utile quam vult sanctam corpore & spiritu.

Tu itaque Virgo quæ non ex arida consuetudine at devotione fervidâ ad sacram Synaxin traheris, quoties huc properas, in quo Superioris tui consilium sequeris: etenim solos Sacerdotes ut suos *Ministros*, ita & *Mysteriorum Dei Dispensatores*, sive, ^{1 Cor. 4:1.} ut ait S. Cyprianus, *Sacramentorum Vicarios* Christus instituit: quoties inquam huc properas, si eam ^{Tract. de Passione Christi,} tibi fructuosam velis, præscripta Documenta te dirigant: cùm solitario relicto Jesu licèt bono opere occupata, huc & illuc discurreret, quantâ acrimoniâ *Martha* reprehendebatur! quomodò verò probat quibusque laudibus exornat *Mariam*, quòd pedibus ejus & lateri adhærescat! *Martha* non quidem malam at partem optimam elegerat sibi *Maria*, hanc non illam æmulare, cognoscis hinc sensum Domini Jesu, quem sequaris: quem & alibi prodidit dum à convivis suis exigit, ut is in eo maneat, in quo ipse sit mansurus: *In me manet & ego in eo*. Agnosce ^{Joan. 6:} gratiam quâ is te beat, vult enim eam à te in pretio ^{57.} haberi: eadem quæ Thomæ sit & vox tua, qui dixit ^{Joan. 20:} *ei: Dominus meus & Deus meus!* quem dum Deum ^{28.} tuum cogitas, erubescere defectus quos is in cordis tui coenaculo deprehenderit: dum autem eum Dominum tuum agnoscis, omnia tua serviant illi: eum
nam,

Heb. 1: 2. namque constitutum scribit Apostolus *Heremum universorum*, ideòque nil ei in te subtrahas, nil deneges. Prodas denique ei necessitates tuas, flagites pietatem, ad hoc vix ulla commodior occasio: at eam te, non hoc solum die verum de omnibus vitæ tuæ, exhibeto, ut elucescat quod non in vacuum gratiam Dei recipias: tene eum apud te nec dimittas à te: „ Oportet enim (instruit ille per Kempæum) ut non solum te præpares ad devotionem ante Communionem, sed ut etiam te sollicitè conserves in ea post Sacramenti perceptionem: nec minor custodia post exigitur, quam devota præparatio prius: nam bona postmodum custodia optima iterum est præparatio ad maiorem gratiam consequendam. Ex eo quippe valde indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia. Cave à multiloquio, mane in secreto & fruire Deo tuo: ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest. Ego sum cui te totum dare debes, ita ut jam ultra non in te sed in me absque omni solitudine vivas.

§. VI.

De Audienda Concione.

c. 2. v. 14. **E**A Amantium indoles, ut non modò mutuam præsentiam ac confabulationes suspiret: *Ostendit mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vocem enim tua dulcis & facies tua decora*, in Canticis aliaqua dicebat: sed & interim, dum hæ negantur, ad de se mutuo relationes audiendas anhelet, quæ æquè ac

ac illæ amoris fomenta: *num* quid, inquirebat eadem illa *quem diligit anima mea vidistis?* est in te non spurius sed germanus amor erga Animæ tuæ Sponsum? affecta præsentiam ejus per sacram Communionem, colloquia cum eo in Oratione & Meditatione, sed & nuntia de eo è Concione: ibi namque audies ubi nam ille moretur, quid egerit & quid adhucdum agat, quidque, quod caput est, à te requirat, ideoque D. Bernardo dicta *Schola Christi & Auditorium spirituale*. Serm. de S. Joan. Bapt.

PRIMÒ itaque Concionatorem considerabis tanquam nuntium ad te à Sponso tuo ablegatum, quod eum titulo honorat Apostulus, dum Prædicatores *exarat pro Christo legatione fungi: sicut Angelum Dei*, 2 Cor. 5: 20. Galatis in eorum laudem scribit idem ille Doctor *Gentium, excepistis me, sicut Christum Jesum*, quo circa eos æmulata tuâ culpâ nullam negliges Concionem, verum ad eam audiendam ducet te & impellet sancta curiositas. Magdalena *sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius*, non tibi datum illud excipere ex ore ipsiusmet Jesu? anhela ad illud intelligendum ab eis, quos loco sui mittit ad te: eos negligere aut flocci facere malum signum. Luc. 10: 39.

SECUNDÒ, ea, quæ pro Concione audies, non ut Concionatoris, sed ut Dei verba excipies: Theſſalonicensibus ad eorum laudem hunc sensum ascribit Apostolus: *Cum accepissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei*. Cur namque super Apostolos in die Pentecostes è cælo depluerunt linguæ igneæ, nisi ut scires Deum esse, qui ad erudiendos homines eorum linguâ uteretur? 1 Thess. 2: 13. Act. 2: 3.

quo

quo intuitu suam *Calamum* scribæ velociter scribes
Psa. 44:2 *tis* inscribit Psalmographus, Christumque loqui in
2 Cor. 13: se confitetur Apostolus, ideoque.

3. TERTIÒ ut, quæ audies, intelligas, humili sup-
 plicatione Dominum exorabis: dices cum *Psalte:*

Psal. 118. *Servus tuus* (Ancilla tua) *sum ego, da mihi intellectum,*
ut sciam testimonia tua. Nemo namque dictis inter-

Act. 16: dere poterit, nisi cui, ut *Lydiæ purpurariæ*, Domi-
 14. minus cor aperuerit: quod ergo Concionatori Au-

L. 4. de gustinus, ut scil. *sit Orator antequam Dictor*, idem
doct. & ego suggero tibi, ut quò dicenda capias, auditu
Christ. orationem præmittas, oratrix antequam auditrix.

6. 15. QUARTÒ, avidè attendes ad verba singula &
 diligenter, sit ne aliquid quod te in particulari con-
 cernat: nam cum plures alloquatur unica Conci-
 &, quod dicitur omnibus, singulis dicendum non
 fit, quæ ad tuam faciunt instructionem summâ at-
 tentione excipies.

QUINTÒ non solis auribus sed & aperto corde
Serm. 14. hauries verbum Dei: *Nolite habere cor in auribus,*
de Bapti- urget Augustinus, *sed aures in corde.* Quid videtur
sta Joan- tibi de discipulis itinerantibus in Emaus, etiam eo-
ne. rum corda penetrabant dulcissima verba Jesu? cor

Luc. 24: ipsos audias: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis,*
 32. *dum loqueretur in via & aperiret nobis Scripturas?*

Cor cum his aperiat quisquis ex Verbo Dei hoc inces-
 dium desiderat. Quæ olim Centurionis Cornelii
 Petrum, eadem sit & cordis tui vox ad Concionato-
Act. 10: rem: *Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus*
 33. *audire omnia, quæcunque tibi præcepta sunt à Do-*
mino.

SEXTO non quomodo, sed quid dicatur, atten-

des poma non folia carpenda sunt, male audiunt apud Apostolum, qui quærent magistros *prurientes auribus*: perinde est quomodo intimetur divina voluntas sive cum sive absque gratia verbi dummodo illam intelligas: certè gloriatur Apostolus nuntium se egisse apud Corinthios fidelem quidem, sed non in sublimitate sermonis neque in doctis humanæ sapientiæ verbis: Non enim in sermone, est Regnum Dei, sed in virtute. „ Non est Theatrum Ecclesia, de-
 „ nuntiat Antiochenus Orator, ut ad delectationem
 „ audiamus: adjutos hinc recedere oportet, lucratos
 „ quicquam amplius & magnum, sic recedere exped-
 „ dit; quoniam temere & frustra proficiscimur, si
 „ ad tempus refrigerati sic recesserimus vacui & di-
 „ ctorum utilitate inanes facti. Quæ mihi horum
 „ plan suum utilitas, quæ laudum & tumultuum?
 „ laus mea est per opera, vos omnia, quæ dicuntur,
 „ exhibere: tunc ego felix habendus & beatus, non
 „ quando suscipiatis, sed quando omni cum alacri-
 „ tate faciatis quæcunque à nobis audieritis. Si enim
 „ Ecclesia esset Auditorium Rhetorum, addit D. A-
 „ thanasius, oportuna res esset eloquentia: sed quia
 „ certamen de moribus & de fructificatione propo-
 „ situm est, & cælum est quod expectatur non lin-
 „ gua requiritur sed mores boni.

SEPTIMÒ non ægrè feras si reprehendaris: nuntio namque non præscribendum à te quæ nuntia ferat ad te, sed tibi ab illo ea, quæ affert, accipienda sunt. Innocens es? ut quid igitur obmurmuras? non potest movere dolorem pressura ulceris quo non laboras. Rea teneris? quæ debes esse sancta corpore & spiritu, cur te non emendas? miseræ animæ

2 Timoth.

4: 3.

1 Cor. 2: 1

13.

1 Cor. 4:

20.

Hom. 2:

ad An-

tioch.

Hom. de

Sementi.

animæ, quæ non medicos sed vitiorum suorum
 sensores & pedaneos seu palpones amant : Audi
 quàm ægrè id ferat Dominus ejusque minas forme-
 da: „nunc ergo ingressus scribe ei super buxum (Isai.
 30: præcipit Isaiæ) & in libro diligenter exara illud, &
 8, 9, & 10. erit in die novissimo in testimonium usque in æ-
 ternum : populus enim ad iracundiam provocans
 est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem
 Dei. Qui dicunt videntibus : nolite videre. Et
 aspicientibus : nolite aspicere nobis ea, quæ recta
 sunt : *loquimini nobis placentia*, videte nobis erro-
 res, &c. *Erit tempus*, scribit Apostolus, at cave-
 2^a Tim. 4: illud advoces, *cùm sanam doctrinam non sustinebunt,*
 3. *sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros.* V-
 Proverb. impius ait Proverbiorum Autor *procaciter obfirmat*
 21: 29. *vultum suum, qui autem rectus est, corrigit viam suam.*
 Miserum aliàs Prædicatoris officium, quod vel vi-
 lissimo operario in suum discipulum licet, in eo non
 non careat : *argue, obsecra, increpa*, suggerit proinde
 Apostolus. Talis olim Germanus Patriarcha Con-
 stantinopolitanus, quem ea de causa B. Joannes De-
 mascenus vocat *Virum liberâ atque intrepidâ pietate*
 In vita S. præditum.
 Stephani
 Junioris.

OCTAVO Admitte, quod tibi commendatur
 aut præcipitur, idque operi mancipa, hic enim
 omnis exhortationis finis. „Coimus ad literarum
 39. Apolog. c. divinarum commemorationem, (habet Tertullia-
 nus) si quid præsentium temporum qualitas aut
 præmonere cogit aut recognoscere: certè fidem
 sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam
 figimus, disciplinam præceptorum nihilominus in-
 culcationibus densamus. Ideoque quæ Jesu vis esse
 Ancilla

Ancilla imò & Sponsa, sequere sensum & consilia Jesu, quæ tibi per ejus ministrum è Concione constant: non te suis cæteroquin accensebit: *Si quis diligit me sermonem meum servabit*, habent ejus verba. *Joan. 14: 23.*
Qui enim ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. Adeoque periculum majus est (loquor verbis D. Cypriani) voluntatem Domini cognovisse, & in Dei voluntatis opere cessasse: *L. de Dif. cip. & Bono Pudicitia.*
 intimatur namque ut fiat.

NON ò audita in memoria recondas, eaque vel tecum in corde tuo vel cum aliis conferas, quo te & eas ad opus exstimules: cadat semen verbi divini in terram bonam, quales ipso Christo interprete sunt hi: *qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, Luc. 8: 15*
& fructum afferunt in patientia: quæ non ruminant Animalia immunda censentur. Ideoque hinc Colloquiis tuis & Cogitationibus materiam eruas & suppedites: id te doceat Virginū Prædux, quæ Evangelio teste, *conservebat omnia verba conferens in corde suo. Luc. 2: 15*
 „ Nonne cernitis filios vestros (etiam secularibus inculcat D. Chrysost,) ea, quæ discenda suscipiunt, *Hom. 5. in Matt.*
 „ totius diei continuatione meditari? quantò id magis nos in spiritualibus studiis præstare debemus?
 „ alioquin nihil huc nos proderit convenire haurientes in dolium pertusum singulis diebus: & ne tantum quidem studii in horum quæ diximus conversatione ponentes, quantum erga aurum argentumque solemus adhibere. Paucos enim nummos
 „ cum aliquis acceperit, & reponit in crumenam, & obsignat sigillo, nos verò, cum longè auro gemis
 „ misque preciosiora suscepimus eloquia & spiritus
 „ thesauros adepti, non ea in penu & scrinio animæ

recondimus, sed negligenter &, ut fors tulit, finimus ex mente nostra effluere. Quisnam igitur, nostri miserebitur amplius, cum ipsi nobismet infidiamur atque in tantam nos pauperiem sponte cogamus?

DECIMO: Non turberis si bona quæ audis universa in memoria non retineas: nam quemadmodum vas, quod sæpius aqua perfunditur, purum permeat etiam si aqua infusa statim effluat; ita si mentis benevolam doctrina spiritualis crebro pertransierit, quamvis ibi non persistat, ipsam tamen mentem in tantam Deoque placentem reddit & conservat. Utilitas tua singularis. non in hoc sita est, ut doctrinæ verba memoriæ commendes, sed ut doctrinæ verborumque effectus in te remaneat, id est, ut tua doctrina puritatem interiorem paratamque voluntatem adimplendi mandata divina consequare.

UNDECIMO pro instructione data & accepta Deo gratias agas, ejusque adjutorium, quo eam operamur, humiliter implores: Omnia namque quæ utiliter proferuntur, (ait S. Cyprianus,) & æternæ vitæ statum tractantibus vel definiunt vel promittunt, ita demum fructuosa sunt, si ad emolumentum operis divinæ indulgentiæ viribus adjuvantur: non solum proferimus verba, quæ de scripturarum sacris fontibus veniunt, sed cum ipsis verbis preces ad Dominum & vota sociamus, ut tam nobis quam vobis & sacramentorum suorum thesauros aperiat, & vires ad implenda, quæ cognoscimus, tribuat, *neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Gratias celestis pluviæ indiget Verbi divini sementis, eam advo-
D U O

Supra.

1 Cor. 3: 7.

DUODECIMO tandem tibi sufficiat Superio-
 ris tui Alloquium & præsentia, quibus in Ecclesia
 frueris: exigunt aliquæ crebriorem accessum ac col-
 loquium frequentius: si subtrahantur, se negligi aut
 contemni conqueruntur, at querelâ injustâ, si ad D.
 Ambrosii præscriptum attendant: „Viduarum ac
 „Virginum domos nisi visitandi gratiâ juniores adi-
 „re non est opus, & hoc cum senioribus, hoc est vel
 „cum Episcopo, vel, si gravior est causa, cum Præs-
 „byteris. Quid necesse est ut demus obtrectandi lo-
 „cum secularibus? quid opus est ut illæ quo-
 „que visitationes crebræ accipiant auctoritatem?
 „quid si aliqua illarum forte labatur? cur alieni lap-
 „sus subeas invidiam? quàm multos etiam fortes il-
 „lecebra decepit? quanti non dederunt errori locum
 „& dederunt suspicioni? cur non illa tempora, qui-
 „bus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? cur non
 „Christum revisas? Christum alloquaris, Christum
 „audias? illum alloquimur cum oramus, illum audi-
 „mus cum divina legimus Oracula. Quid nobis cum
 „alienis domibus? una est domus quæ omnes capit:
 „illi potius ad nos veniant qui nos requirunt. Quid
 „nobis cum fabulis? ministerium Altaribus Christi
 „non obsequium hominibus deferendum recepi-
 „mus. Hæc Mediolanensis Hierarcha, iis quidpiam
 addere foret actum agere: ideóque finiens hunc Tra-
 ctatum moneo cum Apostolo: *Verbum Christi ha-*
bitet in vobis abundanter in omni sapientia; & tu Vir-
go memento, quia in medio laqueorum ambulas: & mul-
tæ veteranæ Virgines castitatis indubitatae in ipso mor-
tis limine coronam perdidere de manibus. Abundans
 cautela non nocet.

L. I. Offic.

c. 20.

Coloss. 3:

16.

S. Hier.

Epist. 22.

c. 13.

CAPUT IV.

De Ascensu Menstruo.

Idem is penè est cum Hebdomadario, ideoque nihil peculiare hîc dicendum, nisi de quo tractabitur sequens.

§. UNICUS.

De Suffragiis Menstruis.



EA Hæreses inter & Ecclesiam Catholicam est differentia, non solum quod hîc, qua illæ exulant, integra Fidei veritas respicitur, sed &, qui ibi desunt, quod hîc, *Ps. 44: 10.* ideoque Psalmographo dicta *circumdatus variis*, ad pietatem inveniantur illicet quamplurimi, quos inter, ut Cæremonias & alios taceam, non infimum locum obtinent piæ *Sodalitates*, quarum Primam, quæ erat de Rosario, institutam ejusque Initiatorem ex Ordine Prædic. B. Alanum de Rupe apud Zwollem Transifulanos vitâ functum & humatum scribit *Grægorius lenius*: quem deinde Franciscani cum Córdâ, Augustiniani cum Cingulo, ac novissimè, ne recensent omnes, cum Scapulari subsecuti sunt Carmelita, omnes de Ordine Mendicantium. Verùm cum piis hîce Inventis quidam hîc abuterentur non ad lucrum animarum sed animorum, eosque à legitimis suis partibus ad alienigenas inflectere allaborarent quæstum æstimantes pietatem, aliam favoribus spiritualibus à Sede Apostolica abundè locupletatam sub Titulo

*In Sacra-
rio Urbis
Colon.*

*1 Timoth.
6: 5.
Vide Libel-
lum.*

Græ-

*Gratiæ Dei & Patrocinio Proto-Apostolorum nostro-
rum Wilibrordi ac Bonifacii* erexit Illust^{mus} p. m. *Sas-
boldus*. Virgini ego dissuadeo omnibus promiscuè
deferre nomen suum: parùm enim id proderit, ne-
que statim de meritis omnium, ut quidam vendi-
tant, si modò inscripta, participaverit: Fatuis nega-
tum à Prudentibus de Oleo suo, ad cautelam inter-
prete D. Hilario, *alienis scil. operibus ac meritis nemi-* Canone 27
nem adjuvandum, quia unicuique lampadi suæ emere in Matth.
oleum sit necesse. Nundinatio nulla nec donatio inter
vivos hîc locum habet: *Ite potiùs ad vendentes &
emite vobis*. Laciniæ panni, Coriola, Funiculi vel
Coralla cælum non dabunt, at sola Patris cœlestis ad-
impleta voluntas: sed omnibus Autor sum, non æmu- Matth. 7:
lus aut invidus aliis, ut in *Wilibrordo-Bonifacianam* 21.
se se recipi postulent, cùm in Hæreseon excidium &
Catholicæ Fidei triumphum, quæ Virgini nostrati
cum primis debent esse in voto, omnes ejus Leges ar-
dentissimè conspirent non proditiōis aut rebellionis
consiliis sed pietatis & charitatis subsidiis: neq; enim
Virgini tam respiciendum ad promissos Indulgentia-
rum favores, quàm ad ea Christianæ pietatis opera,
per quæ iis sese dignam divinæ Benignitati præstite-
rit: non tam affectet pœnarum relaxationes, quàm
ne indigeat allaboret.

Tu itaque Virgo, si ei hætenus non fueris inser-
ta, fac te quantociùs sub ea censi: & si eo in loco
fueris, ubi *Suffragia Menstrua* distribuuntur (quæ
consuetudo è Palatio B. Francisci de Borgia Gandiæ
Ducis cum eo in Societatem Jesu & exinde in Sodali-
tates reliquas profluxit) nolo satis esse putes Sche-
diasma accepisse, reverenti osculo salutasse, nomen in-

spexisse, perlegisse reliqua: mox ubi domum ventum est obvio libello abdere & veluti captivum includere, aut etiam contemptim ut vilem chartam abjicere, mensem elabi finire nec mense toto vel semel porrecti Sancti nomen aspicere, imò nec meminisse quidem accepti: hoc non est honorare, non est hoc colere Cœlites, satius esset hospitem hunc è celis nonquam domo admittere, quàm sic habere irreverenter aut turpiter abjicere: aliud sibi postulat nostrua sortitio sanctorum, & quidem

PRIMÒ, ut ejus, qui vel quæ tibi obtigit, patrocinio statim te & omnia tua commendes, tanquam ei cujus præsidio te pro hoc mense divina providentia commisit. Prima data occasione in Vitis SS. gesta revideas, quò te ad ejusdem imitationem propellas, sine qua incassum Sanctorum suffragia speras.

Isai. 63: 16. nescit eos Abraham eosque Israël ignorat, qui veri Israëlita aut non sunt, aut esse non affectant: imò, „etiam si Abraham Patriarcha pro his supplicet (ad-
Hom. 5. in Matth. dit D. Chrysostomus) qui in suis vitiis permanent, do immedicabiliter ægrotant, abibit Deus relinquens rogantem, ne vocem pro talibus intervenientis exaudiat... Non igitur oscitantes & delinquentes ex aliis pendeamus: habent enim vim pro nobis & quidem maximam orationes supplicationesque Sanctorum, sed tunc cum nos quoque poenitentiam egerimus & ad studia meliora confugimus. Quotidie dum Sertum Rosaceum texit, ejus memoriam eidem innectas, ad singulas orationes dicendo: Sancta Maria Mater Dei cum B. Agatha vel S. Matthia (vel quisquis ille fuerit.) Ora pro nobis peccatoribus, &c. Eum suo loco, si Martyr inter Martyres,

tyres, si Confessor inter Confessores, si Virgo sit inter Virgines, invoces dum Lytanas majores recitas. Roges, ut, dum ad sacram Communionem accedis, is te comitetur ac deducat: plurimum commendat hæc societas. Festo ei die Sacro intersis illudque Deo in ejus honorem offeras, & siquidem tibi concessum fuerit, sacrâ te Communionem reficias. Denique foveas amicitiam contractam & familiaritatem initam, quem in finem aliqui eorum omnium, quos unquam per menstruam sortitionem acceperunt, syllabum & Lytanas conficiunt, ut & ipsi eas singulis mensibus percurrant & ab aliis in mortis vicinia sibi prælegi petant, proderit tum eorum patrociniis sublevari, cum multæ contra te querelæ deponentur, cum deprecans justitiam misericordiam implorabis.

SECUNDO, ut in præscriptæ virtutis exercitium vel notati vitii excidium toto hoc mense cum primis incumbas, ad quod te moveat non merè casu, sed divinâ planè dispositione, illam sententiam, quæ vitium culpat vel virtutem commendat, te sortitam: neque erit ea vana suspicio, advertis enim, secundum illam quam de singulis habes notitiam, eam cuique ut plurimum obtingere, quæ id accipienti inculcet cujus illa vel maximè indiga: audies garrulæ præscribi silentium, Cellam vagæ, diligentiam tepidæ, eleëmofynam parcæ, patientiam morosæ, &c. Quare dum prælegitur tibi Sententia Schedæ inscripta eo animi sensu eam excipies, ac si animæ tuæ Sponsus ejus exercitium per totum hunc mensem tibi præciperet, utpote cujus conniventia & patientia sat diu dissimulavit ac sustinuit tuam imperfectionem: cui ut obedias, primo subsequenti die sit ea Meditationis

tuæ materia, in qua inquires & statues, quâ ratione quotidie te in ea exerceas, &, an in proposito proficias vel deficias, particulare tuum Examen quotidie investiget, &, quò satisfacere possis, suppetias divinæ gratiæ per menstrui tui Præsidis suffragia implorabis. Sancta jam fuisses corpore & spiritu, si usque huc monita tibi in schedio tuo præscripta eâ sollicitudine executâ fuisses, non sponte suâ ut vitiorum lolum infelix at labore & industriâ fatæ ac fotæ succrescunt virtutes: *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat*, ait Proverbiorum Autor, &, *qui congregat in messe filius sapiens est, qui autem stertit æstate filius confusionis*. Depone itaque vel nunc pigritiam tuam, excute somnolentiam, & dum Heroum cœlestium memoriam agis & consortium suspiras, eorum quoque studium ac vir-

c. 10. v. 4.
& 5.

S. Greg.

Hom. 37.
in Evang.

Hom. 245

tutes æmulare, *ad magna præmia perveniri non potest, nisi per magnos labores*. „ Quæ est autem illa justitia, (ait Autor Hom. in Matth. apud S. Chrysost.) Sanctos colere & contemnere sanctitatem? primus gradus pietatis est sanctitatem diligere, deinde Sanctos, quia non Sancti ante Sanctitatem fuerunt, sed sanctitas ante Sanctos. Sine causa ergo Justos honorat, qui justitiam spernit. Non possunt Sancti amici esse illorum quibus Deus est inimicus. Numquid potest esse pacata familia, Domino adversante? Non patrocinantur illi, nisi quos ad studia meliora abripit Dei & virtutis amor. Nihil ipsis in gloria cum hîc ingloriis. Sponsas infideles non curant ardentissimi Amici cœlestis Sponsi.

TERTIÒ denique ut ores pro iis, quos tuis precibus scheda commendat juxta monitum B. Jacobi:

Org.

Orate pro invicem ut salvemini. Debent enim, quod ^{6.5. v. 16.} inculcat Apostolus, *pro invicem sollicita esse membra*: ^{1 Cor. 12:} quod ut ritè fiat, petes quamprimum, quid per te ^{25.} postulari velit, quæ tuis precibus est assignata: suppono, quòd dicet gratiam ad illud exercitium quod ei in suo schedio præscribitur, tu certè id à te sciscitanti responderis. Tum quotidie dum Sacrum audis, dum Rosarium volvis, ejus memoriam facies, festoque Patroni tui die Missæ Sacrificium illum etiam in finem offeres, eumque rogabis ut sicut tibi ita & illi patrocinari apud omnium bonorum Largitorem dignetur.

Si ea esset Filiæ meæ in profectum vestrum unanimis conspiratio, citò revera obtineretur perfectio-
nis apex: si ita cogitetis quæ sunt Domini, omni-
modam corporis & animæ sanctitatem ausim polli-
ceri, non meis, sed Domini mei & Sponsi vestri ver-
bis: „Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis con-^{Matt. 18:}
„senferint super terram, de omni re, quamcunque ^{19.}
„petierint, fiet illis à Patre meo qui in cœlis est.

Quicquid postulassent ad ornatum pertinens, accipie- ^{Est. 2: 13}
bant Virgines pro Assuero selectæ: non erit parcior
in suas Monarcha cœlestis, quas vult sanctas cor-
pore & spiritu. Emulamini itaque Charismata ^{1 Cor. 12:}
meliora. ^{31.}

CAPUT V.

De Ascensu Annuo.

§. I.

De Anniversario Consecrationis die celebrando.

Gen. 40:

20.

2 Machab.

6: 7.

Marc. 6:

21.

Uod frequentatum olim inter seculi Magnates, ut scil. annuam Natalium suorum memoriam celebrarent, de Pharaone, Antiocho & Herode sacra id refert Historia: Idem sit & Virgini in praxi: celebraverint diem, quo nati ceperant mundo vivere, tu eam celebra quo mundo moriens cepisti vivere Deo: honoraverint eum illi, qui ad Diadema & sceptrum eos protulerat, tu autem eum recale quo (quod verè est regnare) Deo tuo subesse & tibi ipsi præesse statuis: quod ut cum fructu fiat, necessarium tibi triplex hoc documentum.

PRIMUM est, ut Vocationis Beneficium grati animo agnoscas, non quod tu ei obediendo exhibueris Deo, sed quo misericorditer vocando ille te beaurit, non illi à te, sed tibi ab illo gratia magna impenditur beneficium eximium collatum est: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*, is inquit. In quantam ebulliebat gratitudinem Miphiboseth Jonathæ filius! cum audiisset à David; *Tu comedes panem in mensa mea semper: qui adorans eum dixit: Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super eanem mortuum similem mei?*

Joan. 15:
vers. 16.2 Reg. 9:
7. & 8.

mei? beneficium hoc obscurat illud quo te beat piissimus Jesus, hujus in te benevolentia longè profusior: spirituales illæ epulæ, assiduæ divini Spiritus consolationes & ambrosia cœlestis, quibus te reficit & oblectat, mensa Eucharistica cui te sæpius admovet, & intima familiaritas in quam te admittit, tantum illud superat quantum anima corpus & æternitas temporum momenta. Abigail à Davide in Sponsam selecta, *consurgens adoravit prona in terram*, eoque se honore 1 Reg. 25: indignam reputans, ecce, inquit, *famula tua sit in anc-* 41.

cillam, & lavet pedes servorum Domini mei. Quid majus, eligi in Sponsam Regis terreni, ut Abigail, an assumi in Sponsam Regis cœlestis? quis hunc illi non præferat? eximio hoc honore cumulavit te divina Bonitas: nonne congruum ut ejus in te memoria jugiter perennet, nec ullâ unquam oblivione deleatur?

„Non necesse habet (de Virgine scribit Orator Antiochenus) in Sponsum inquirere nec fucum timet, L. de Virginit. c. 59

„Deus est enim non homo, herus non conservus, ac

„Sponsorum hoc discrimen est. Vide autem & qui-

„bus rebus despondeantur, non mancipia, non terræ

„jugera, non tot ac totidem auri talenta, sed cœli &

„cœlestia bona Sponsæ hujus donationes sunt: præ-

„terea conjux mortem trepidat, cum propter alia,

„tum quod se à contubernali disjungat: Virgo &

„mortem desiderat & vitam gravatur, Sponsum præ-

„sens præsentem intueri, eâque gloriâ frui prope-

„rans. Nonne jure merito in pretio habenda hæc

gratia? „Virgo si eligat crimen est, (lego apud D. L. 1. de Virg. Ambrosium) si non eligat contumelia: quæ quam-

„vis pulchra sit & decora, & timet videri & cupit:

„cupit ut se carius vendat, timet ne hoc ipsum dede-

ceat

ceat quòd videtur : quanta autem votorum ludibria
& ad procorum eventus suspecti metus, ne pau-
per illudat, ne dives fastidiat, ne pulcher irrideat,
ne nobilis spernat. Huic periculo subtracta, dubia
huic aleæ subducta gratiam & beneficium non
agnosces? gratiam pro gratia non referes? deflea
Judic. 11: filia Jephthe Virginitatem suam, seque à Patre Deo
37. - 40. lachrymetur victimatam, ejusque memoriam an-
nuam tristibus lamentis per quadriduum servent. Fi-
liæ Israël : tu & te & Virginitatem tuam Deo con-
secratam lætare : & ut festa annua ad singula prope
beneficia ex divino præscripto habuerunt Israëlitz,
ita sit & tibi anniversarius consecrationis tuæ dies
solemnis.

SECUNDUM est, quod hinc sequitur, ut eadem
formulâ, quâ ea olim conceperas (sub sacro scil. & in
sacra Communione) renoves priora proposita, ap-
probes & confirmes. Et quare non? num fortè
pœnitentia vel displicentia aliqua te revocat ab hac
ratihabitione? certè nulla tibi suppetit pœnitentia
ratio : non decepta non es illaqueata : conjugium in-
faustum non est quo te Deo tuo alligasti, tantùm ne
Sponsum tuum pœniteat elegisse & vocasse te, cave
ne repudium mereare : Neque ulla justæ displicen-
tiæ causa potuit interim enasci : est fortè quia pateris
aliquas difficultates? sed quis quæso Status iis exi-
mius est? aut est quod omnia non accidunt ad nu-
Job. 7:1. tum & votum? falleris, si illud hîc quæsieris : *Mili-
tia est vita hominis super terram, & sicut dies merce-
narii dies ejus.* Non proprium semper sed sensum a-
liorum sequatur Mercenarius, & contra molestias ac
diff.

difficultates omnes militis animus obfirmatus sit oportet: Jussa terra spinas & tribulos germinare non flores, neque Rosa ideo non crescit, quia spinis circumdata: Patientia unica malorum omnium medela, & quod ea exaruit aut necdum sat altas radices egit in pectoris tui viridario, idcirco languet complacentia. Eductus ex Ægypto Israël & in solitudine oberrans patiebatur itineris laborem multasque adversitatum difficultates, & ad ejus solatium non nisi pauculos è terra Canaam per Josue & Caleb Dominus fructus submittebat: exempta sis licet è mundi servitute, necdum tamen intraisti Terram promissam, ubi summa quies & omnia ex voto: adhucdum hæres in via, sufficiat tibi illa futuræ felicitatis præliatio quam interim submittit divina providentia: itinere seu cursu consummato erit tunc *Deus omnia in omnibus*. Jephthæ hîc tibi imitanda constantia: *aperui os meum ad Dominum & aliud facere non poterô*: voverat ille inconsideratè tu præmeditatè: approbat ille quod licitè retrectare poterat, tibi resilire non licet: *Quæ autem respexit ad nuptias*, denuntiat Antistes Hypponensis, *Non quia voluit nubere, in damnatur, sed quia jam antè recesserat, & fit uxor Lot* respiciendo retrorsum. Ideoque datam Deo fidem ne fallas: approba & renova pollicitationes tuas: irruant in te adversitates non dejiciant: Loquere cum Jephthæ: *aperui os meum ad Deum, & aliud facere non poterô*. Non licet semper hære in Monte Thabor, etiam quandoque trahenda mora in Vertice Golgothæo. Nec omnibus ut Eliæ in sibilo auræ tenuis, verum plurimis ut Moyfi è rubo loquitur Dominus. „ Alioquin delicato satis otio dormire voles, inquit

Gen. 3: 18

Num. 13:

1 Cor. 15:

28.

Num. 11:

35.

In Psal.

75.

3 Reg. 19:

12:

Serm. 46. inquit D. Bernardus, si non exercitatus quiescere,
in Cant. appetas, & Liæ fœcunditate neglectâ solis cupias,
Rachelis amplexibus oblectari: sed & præposte-
rus ordo est ante meritum exigere præmium, &
ante laborem sumere cibum.

I. Imit. TERTIUM denique est, ut, si defueris hæte-
23. n. 2. nus, vel nunc statuas & incipias ambulare dignè vo-
catione tuâ, ne & te illa Kempæi querimonia note-
quid prodest diu vivere, quando tam parum emen-
damur? ah longa vita non semper emendat sed sæ-
pe culpam magis auget! utinam per unam diem
benè essemus conversati in hoc mundo! multian-
nos computant conversionis, sed sæpe parvus est
fructus emendationis. Idem torpor, eadem deli-
dia spiritus & te remorata est? rogo non addideris

Ait D. præcedentibus menses vacuos & annos steriles: er-
Ambr. L. bescat senectus quæ emendare se non potest. Sed vel
5. Epist. nunc statue, si fortè ultimus foret, (& quis scit?) per-
31. niciores sequenti hoc anno passibus ad perfectio-
nem properare, quem in finem is tibi fortè proro-
gatur; idem namque à quo supra te electam asse-
bam, explicat à te quid requirat *ut eatis* inquit &
fructum afferatis & fructus vester maneat. Ut eatis

Joh. 15. seu abeat à vestris imperfectionibus ac vitiis, sanè
felix recessus! ab ægritudine ad sanitatem, è sordi-
bus, ad munditiam, è vinculis ad libertatem: tolli-
tur namque iis grata in Deo tuo quies & gustus ve-
ræ devotionis: Anima à familiari cum eo commer-
cio repellitur, utpote indisposita & incompressa ad-
huc: ac tandem iisdem quasi compedibus ligatur ne
ad eum libera evolet eique indivulsò adhærescat: ab-
eat itaque ab iis necesse est, quæcunque Deo suo ap-
proxi-

proximabit: sana sit oportet non ægra, quæ ejus ministerio vacabit: nitida & munda, non situ & squalore vitiorum suorum foetida, quam inter famulas suas admittit & agnoscit: libera sit non mancipium quæ cœlesti Sponso maritabitur: *Surge, propera Amica mea*, is inquit *columba mea, formosa mea, & veni*: imperfectionum tuarum cœno ac visco non inhærendum, *posui vos ut eatis, posui vos ut eatis, & fructum afferatis, fructum*, scil. bonorum operum & virtutum, de quibus Hebræus sapiens: *Bonorum laborum gloriosus est fructus & quæ non concidat radix sapientiæ*: quo intuitu Virginitatem *nomen multi laboris & sudoris* inscribit Chrysostomus, sine quibus neque ea quicquam proderit: ,, non tibi solus sufficit ,, ad capeſſenda præmia (monet D. Augustinus) Virgineus pudor, nisi etiam & aliis fueris ditata virtutibus: sed neque hunc tantum poteris custodire thesaurum, nisi tuum possederit continuè Humilitas pectus non sit itaque otiosa & sterilis Virginitas sed laboriosa & fœcunda, pertimescat D. Chrysostomi censuram: ,, quid verò si & Virgo de multis ,, laboret atque humana curet? Apage: qui Virginum Choro eam exemeris: siquidem ad Virginitatem præstandam haud sanè satis est non nupſisse, ,, sed animi quoque castitate opus est: castitatem autem intelligo non fœdâ ac flagitiosâ solum libidine, ,, ornatu, curiositate vacare, sed vitæ etiam curis solutam esse ac liberam: quod ni sit, quorsum corporis castitatem? nam ut milite, qui abjectis armis in popinis occupetur, nihil turpius, ita nec Virgine vitæ curis obstrictâ quicquam inhonestius. Etenim quinque illæ & lucernas habebant & Vir-

Cant. 2.
10.

Sap. 3: 15.

Supra c.
41.Serm. 1.
de As-
sump.
Virg.De Virgi-
nit. c. 77.

& Virginitatem exercuerant, quorum nihil eis profuit, sed clausis foribus exclusæ perierunt: quippe ob id præstans est Virginitas, quòd omnem super-
vacuæ curæ ansam protelet, otium omne atque studium divinis operibus consecrans: quod ni habeat, matrimonio longè sit deterior spinas in animo circumferens & legitimum ac cœleste semen suffocans. Enitatur ad perfectionem quæ perfectionis statum proficitur: quos tollit defectus, supplet virtutibus: afferat bonorum operum fructus, in qua excolenda divinâ industriâ laborat: sit, quod dicitur, Ancilla Christi, sedula ac diligens, Virgo merito non solo vocabulo: Bonum est tibi ô virginalis Anima (suggerit Augustinus) ut sic quomodo Virgo es, sic omnino servans in corde quod renata es, servans in carne quod nata es, concipias tam-
à timore Domini & parturias spiritum salutis. Or-
netur morum sanctitate Virginitas, & perfectum gra-
dum vitæ perfectio subsequatur, (instat Autor
Epist. ad Demetriadem,) certè si secularis vita tibi placuisset, dāres operam ne quis te divitiis, ne quis corporalibus ornamentis, ne quis rerum omnium copiâ & honore præcederet: & nunc diversitas studii diversam vitam desiderat: cura ne quis te in benè vivendo transcendat, ne quis morum sanctitate superet, ne quis tibi in virtutibus præferatur. Vult denique ut fructus maneat: *posui vos ut eratis & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Etenim odit omnem animi levitatem & inconstantiam: non in fulgure, quod subitò apparet & disparet, sed
Ps. 18:6. in sole posuit Tabernaculum suum. Quàm eum ægrè habeat quantaque acrimoniâ Ephesino Episcopo de-

De Virginit. c. 38.

Apud Aug. Epist. 14. c. 10.

Ps. 18:6.

nuntiabat, quod hic vacillasset! *Habeo adversū te, quod Apoc. 2: 4. & 5. charitatem tuam primam reliquisti: sibi non vult quicquam imminui aut detrahi. Memor esto itaque unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac, eum cur namque, quo ante, modò non eodem servitio dignaris? Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris: cū enim sua in te beneficia coacervet quotidie, vult ut tua vicissim ei non subtrahas obsequia, sed novo ea fervore augmentes indies: recreat illum, si eum inter & te sit amica concertatio: non vult ut tu succumbas aut cedas officiis. Gloriabundus asserebat Propheta Job: *Vestigia ejus secutus est pes meus, c. 23. viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea, à mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi* vs. 11. & 12. *verba oris ejus: deprædicabat Caleb: hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens ut eo vale-* Josue 14: 10. & 11. *bam tempore quando (scil. ante annos 45.) ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum quàm ad gradiendum. Post longa annorum curricula debet eadem posse & Virginis esse gloriatio: corpore deficiat, sed non animo & fervore senectus portus debet esse, L. 2. de Jacob & vita beata. c. 10. inquit D. Ambrosius, non vitæ superioris naufragium. Nolo tamen, licet felices quibus hæc fors obtigit, ut eundem semper devotionis sentiat affectum, id namque non volentis aut currentis sed miserentis est Dei: verum hoc urgeo, ut ubi se frigidam senserit, perpias considerationes, ut in hieme ad ignem, ad calorem appropere.**

Et hoc Virginis officium est brevi hac sententia

X

præ-

- 1 Cor. 7: 34. præscriptum ab Apostolo: *Mulier innupta & nullo
go cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore &
spiritu.* Nolo ea exenterare, cum id fuisse egerim to-
to hoc Tractatu. Tu itaque Virgo, si usque huc ei
non responderis, dole numerare te tot annos steriles:
erubescere aut potius time, non vitæ merito sed nu-
do vocabulo & fucis vestis te hactenus fuisse Virgi-
nem & tepescentis spiritus speciem solo externi
habitu retinuisse: *Vestimenta religiosa*, ex S. Augu-
stino *sine bonis operibus non solum remedium habere
non poterunt, sed etiam justum Dei iudicium sustine-
bunt.* Etenim *is imprimis fucatam Virginitatis speciem
& Habitum odit*, assertore D. Basilio: cujus senten-
tiæ vim reformida & vel hodie ac si primus con-
fessionis tuæ dies foret, nova proposita, novum ferve-
rem concipe: intepuit vigor, obrepfit lassitudo: eam
excute, illum renova, novisque studiis compensa
damnum & neglectum præteritum: contingit enim
aliquando quod viator aliquis, quem ad horam pi-
gritantem focii præcesserant, reparatis animo & vi-
ribus eos, qui se jam præcesserant, non modò gra-
diendi velocitate consequatur, sed etiam antecedit
alacritate, idem fervor ab hinc & te propellat, & quo
solidus perseveret, ad sacram Communionem ad-
ducat: verum non sint tantum flores propositorum
sed transeant in fructus operum, non enim Deo se-
tisfaciunt frondes aut folia verborum sed fructifica-
tio operum: jubebat is excindi ficulneam per trien-
nium sterilem, at exoratus sub spe fructuum adhuc ad
annum unum ejus excidium differebat, eodem in-
tuitu gratiam eandem tibi factam cogita de anno in
annum, te in illa ficulnea agnosce: age gratias quod

tot annis tuam ingratitudinem negligentiamque sustinuit: & si tempus præteritum adhuc futurum esset, quomodo illud transigeres, subsequens conversatio prodat: à cœlesti Agricola implora cultum divinæ gratiæ, qui eam dat incipientibus non subtrahet proficere volentibus: postulent cum Augustino *Medit. c. 13.*

„suspiria tua; libera quæso me à peccatis, vitiis, cul-
 „pis & negligentis meis: reple me tuis sanctis vir-
 „tutibus, & fac me bonis pollere moribus: fac me in
 „sanctis operibus tuis propter nomen sanctum
 „tuum perseverare usque in finem secundum vo-
 „luntatem tuam.

§. II.

De Zelo pro Virginum augmento.

Q UOD è duobus prioribus superioris §. dogmatibus confectarium hîc lubet pertractare & commendare Virgini, scil. si sibi gratuletur, ob suam ad Virginalem statum electionem sibi in eo complaceat, ut ad eundem allicere & inducere Virgines alias allaboret: ea namque natura Boni quod sit diffusivum & communicativum sui., Agite itaque cursum vestrum, (instat Hipponensis Antistes,) *L. de Bon. Viduit. c. 23.*

„& perseveranter currite ut comprehendatis: & exemplo vitæ exhortationisque sermone rapite in eum-
 „dem cursum vestrum quascunque potueritis. Et aliorum omnes, quæ formari poterant, oppositiones *Ibid.*

„dissipans mox subjungit: „Non vos ab hoc studio, quo multas ad imitandum vos excitatis, frangat querela vanorum, qui dicunt: quomodo sub-

sistet genus humanum, si omnes fuerit Continentes? quasi propter aliud retardetur hoc seculum, nisi ut impleatur prædestinatus numerus ille Sanctorum, quo citius impleto profectò nec terminus seculi differetur. Nec illud vos retardet ab studio persuadendi aliis bonum vestrum, si dicatur vobis, cum & nuptiæ bonæ sint, quomodo erunt omnia Bona in Christi corpore & maiora scilicet & maiora, si omnes continentiae laudem atque amorem imitentur? Primò, quia conando ut omnes sint continentes, tunc erunt vel paucae, neque enim omnes capiunt verbum hoc: sed quoniam scriptum est: qui potest capere capiat tunc capiunt qui possunt, si nec illis, quæ non capiunt, taceatur. Deinde nec timere debemus, ne fortè omnes capiant aliquid de minoribus bonis, id est, conjugalis vite Christi desit in corpore: si enim omnes audierint & omnes ceperint, intelligere debemus hoc ipsum fuisse prædestinatum ut conjugalia bona in illorum numero membrorum etiam sufficiant, quæ tam multa ex hac vita transierunt: habebunt ergo illi omnia ista Bona suum locum etiam si deinceps nulla velit nubere, vel nemo ducere uxorem. *Secundò itaque instate quibus potestis, ut fiant quod vos estis.* Nonne is zelus D. Pauli Apostoli, quem beatus

De Virginitate c. 1. Christi Pronubum inscripsit S. Chrysostomus? *omnes vos esse sicut me ipsum, is inquit, dico autem vobis & viduis, bonum est illis, si sic permaneant sicut & ego.* Conciliare connubia seque gamicis lenocinationibus immiscere, aut proxenetes inter procantes alicubi agere strictissimè Virgini inhibendum, at hinc ejus industriam ac studium laudat & urget

De Virginitate c. 1.
1 Cor. 7: 7.
& 8.

urget D. Basilius : „ enimverò illud longè ab-
 „ surdus est & his quæ dicta sunt meritò cen-
 „ setur indignius atque à virginali Instituto pror-
 „ sus alienum , Virginem non solum hirundi-
 „ nis in morem volitare per domos , sed nu-
 „ ptiarum ministram ac pronubam fieri : hono-
 „ rabiles quidem nuptiæ in omnibus , verum aliis
 „ ea cura non Virgini competit : neque enim illi ex-
 „ pedit propositi sui relictâ semitâ in triviis seculi
 „ vulgaribus turbis passim misceri , alia est enim via
 „ nubentium , alia semita Virginitatem profiten-
 „ tium , & divisa est Virgo & Nupta , recedat igitur
 „ Virgo à nuptialibus curis imò ne causa quidem sit
 „ aliis nubendi , sed aliis quibus institutum est car-
 „ nales ambire sponso ejusmodi studia relinquat.
 „ Illæ ad ea concilianda connubia , si ita videbitur :
 „ sancta Virgo , quæ cœlestem Sponsum flagrante
 „ charitate suspirat , si pronubendi amore detinetur ,
 „ cœlesti potius Sponso immaculatas atque integras
 „ Virgines jungere studeat. Laborent illæ circa mor-
 „ tales thalamos , ista cum Prudentibus accensâ lam-
 „ pade circa immortalem sponsum festina tripudiet
 „ illum sequens jugiter atque ad Virginitatis glo-
 „ riam ei & Sponsas alias copulans. Est enim revera
 „ inverecundum plenumque dedecoris , cùm so-
 „ leant , quæ , antequam vitæ conjugalis molestias
 „ planè perspicere per ætatem possent , præventæ
 „ sunt connubiis innuptas , ut hujusmodi curarum
 „ experimenta fugere nitantur , summa cum bene-
 „ volentia hortari proponentes immortalis spon-
 „ gloriam , quantaque sit illarum dignitas , quanta
 „ & in præsentī & in futuro seculo felicitas , quæ il-

*I. de vera
Virginit.*

Levit. 21:

13.

Num. 31:

18.

Judic.

21: 11.

li desponsari meruerunt, admomentes atque ad Virginitatem omni studio tuendam eas provocantes: Virginem è contra carnalis conjugii promissam fieri atque hujusmodi negotiis addici. Contra sanè quàm illæ (ut mihi quidem videtur) sentire se per ea quæ gerit insinuat: namque Virginitatis professione præventa pudoris causâ se ad eam componit vel invita, affectu tamen suscipiens nuptias ac pœnitens eâ se voluptate privatam: ex iis, quæ agunt quanto earum in intimis flagret amore, non modocriter indicat, quasi nubentibus apertissimè ostendere intendens congratulari se iis quòd hujusmodi voluptate fruituræ sint. Hactenus S. Capadox, quæ ideo fusiùs retuli non ut reas, quas ego non spero, arguerem, sed ut Virgini, quam instrui, si ad hæc officia sollicitatur quid agendum suggererem: urgeant ergo illæ & promoveant nuptias ac procos, sperent industriæ suæ præmia, quæ ignorant nuptias & delicias spirituales; tu autem sponsum celestem prædica & in ejus castissimos amplexus Virgines tecum rape, etiam propriis tuis impensis, dedime Virgines (instat epistola 10. Hier.) quas in cubiculū Regis inducas: suscipe Viduas quas inter Virgines num Lilia & Martyrum Rosas quasi quasdam Violas misceas: pro Corona spinea, in qua Christus mundi delicta portavit, talia ferta compone: perplacet ei hæc illecebra, virginali continentia is vel maxime delectatur, ideò namque summo olim Pontifici ejus typum gerenti præscriptum: *Virginem duc uxorem*: & dum Madianitæ, omnesque sine delectationis aut sexus in Jabes Galaad interfici jubentur, omnes & solæ Virgines excidio subtractæ salvæ man-

mandantur. Affliciebatur Eustochium ad statum Virginalem & Amita ejus pretextata ex imperio conjugis sui eam ad seculum & nuptias avocare nitebatur, at cum quanta Dei offensâ suoque dispendio! „Prætextata nobilissima quondam scœmina (inquit „D. Hieronymus) jubente Viro Hymettio, qui Pa-^{Epist. 7.} „truus Eustochii Virginis fuit, habitum ejus cul-^{ad La-} „tumque mutavit, & neglectum crinem mundano^{tam.} „more texuit sibi, vincere cupiens & Virginis pro- „positum & matris desiderium: & ecce tibi eadem „nocte cernis in somnis venisse ad se Angelum terri- „bili voce minitantem pœnas & hæc verba frangen- „tem: tune ausa es viri imperium præferre Chri- „sto? tu caput Virginis Dei tuis sacrilegis attrecta- „re manibus? quæ jam nunc arescent, ut sentias „excruciata quid feceris, & finito mense quinto ad „inferna duceris. Sin autem perseveraveris in sce- „lere, & marito simul orbaberis & filiis. Omnia per „ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœniten- „tiam velox signavit interitus. Sic ulciscitur Chri- „stus violatores Templi sui, sic gemmas & pretio- „sissima ornamenta defendit.

Summo tamen hîc opus selectu, neque enim quævis promiscuè alliciendæ: negligantur quæ capitis sunt heteroclitæ, **Abelupnen of Malloten** eas vocamus, Deo enim & ejus ministris tales sunt oneri: ad nuptias, ad cunas (quô phantasias distrahant) ablegentur & occupentur. Sunt ex Viris suis Xantippæ? certè præstat illis sint, quam Dei Sacerdotibus. Neque alliciantur semihomines (**Pushteng of Pushteng**) rarus enim aut nullus in eis profectus, ideoque relinquuntur mundo & matrimonio. Respuuntur

utpote inhabiles? eadem etiam de causa à statu Virginali repellantur, in quem nolumus intrudi quicquid quilibet & rejectaneam seculi fecem.

Verum cum ex sensu *Abelis* optima quæque de-
Isai. 33:6 beantur Deo, ex invitandæ, in quibus *divitiæ salu-*
tis sapientia & scientia. De quibus spes probabilis,
 quod numerum non fatuarum sed sapientum sint
 augmentaturæ, quodque caput omnium, quas
 ipse Virginum sponsus ambit, quarum corda sollici-
 tat & rapit in Virginitatis affectum: laboret indi-
 stria tua pro Virginum augmento, sed tales sint, qui-
 bus hanc gloriam Protovirgo decernit, quod per
 internas illecebras & inspirationum blanditias signi-
 ficat. Verbo tales sint, qualis *Demetrias* hoc elogio
Epist. 8. celebris apud D. Hieronymum, *quod inde ceperit, non*
aliis desuisse perfectæ consummatæque virtutis est. Quæ-
ibid. lis D. Agnes, &c. In fide stabiles & charitate fer-
 ventis. Ad quarum denique consecrationem inge-
 miscat mundus, &, ut eos vocat D. Hieronymus,
non plenæ fidei Christiani parentesque miseri, easter-
tum quibus dignos generos non inveniunt soliti Virgini-
tati tradere. Retineat Mundus quas abjicit, obti-
 neat Christus quas Mundus allicit, summo Bono
 optima quæque cedant, bonus non est quisquis
 hæc inviderit.

Nolo tamen ut is te error teneat, qui sequiorem
 conditionem censet vitæ melioris impedimentum,
 cum personarum acceptio non sit apud Deum, qui
Pf. 112:7 idcirco dicitur *Psalms suscitans à terra inopem & de*
Eccl. 11:23. *stercore erigens pauperem. Facile est enim in oculis Dei*
L. de ve- *subito honestare pauperem.* „ Quippe & sponsus (in-
q. a Virgin. quit Magnus Basilius) amoris erga se illi præmia re-
 ferens,

„ferens, five illa ancilla fit, five ignobilis, five pau-
 „percula & obscura, atque in seculo penitus abjecta
 „confortio eam suo & communione nobilitans cœ-
 „lorum Reginam facit. Nec solo hanc munere im-
 „mortalitatis honorat, sed exteriori etiam amictu
 „tanquam sponsam suam accuratissimè ornato com-
 „ponit & vario: cujus admirans gloriam hymno-
 „rum cœlestium Cantor ad Sponsum ait: *Astitit*
 „*Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata*
 „*varietate*: ut, quæ nunc pannosa servilique habi-
 „tu vilis habita est, in cœlestibus regnis Regina &
 „nobilis & honesta ornatu vario Regi adfistere in-
 „veniatur. Neque enim alia apud Patres nobilitas
 „in pretio quàm animorum: „probat viri genus vir-
 „tutis prosapia est (censet D. Ambrosius) quia si-
 „cut hominum genus homines, ita animarum genus ^{L. de Noè}
 „virtutes sunt: etenim Familiæ hominum splendo- ^{& Arca}
 „re generis nobilitantur, animarum autem clarifi-
 „catur gratia splendore virtutis. Ex quo capite apud
 „D. Augustinum monetur Demetrias Virgo nobi- ^{Epist. 142}
 „lissima: „Nobilitatis ad hoc tantum memineris,
 „ut cum claritate generis morum sanctitate conten-
 „das, & cum nobilitate corporis animi virtute no-
 „biliter proficias, magisque illâ nobilitate glorieris,
 „quæ filios Dei & cohæredes Christi facit o-
 „mnis ista præclari generis dignitas & illustris aviti
 „sanguinis decus ad animam transferantur. Ille cla-
 „rus, ille sublimis, ille fit nobilis, ille tunc integram
 „nobilitatem servare se putet, si dedignetur servire
 „vitiis ab eisque superari non est quòd sibi ali-
 „quis de nobilitate generis blandiatur, si ex meliore
 „parte sit famulus; multò est indignius mente ser-
 „vire quàm corpore.

X §

Tu

L. 3. de
Virgin.

Tu itaque Virgo sponſalibus te non immiſceas: eis hanc curam relinquo quæ aut ignorant aut non æſtimant Virginitatis prærogativam: ad morſum amarum Adamum Eva invitet: at æmula Dei ſpirituales nuptias promove ac procura non tamen ſine delectu, Davidi & Aſſuero ſpecioſiſſimæ Virgines ſeliguntur. Et dum hæc *Virginitatis profeſſionem* (quæ eſt phraſis ambroſiana) *veſtis quoq; mutatione ſignant*, eis tua vota tuas preces aſſocia (id namque ſemper ſolemne Virginitibus) ut Virginali Familiæ jam inſertæ ſtabiles in ea permaneant, de virtute eant in virtutem, atque ad illam cœleſtem gloriam pudicitia & integritatis coronam divinus eas favor perducatur.

ſupra.

De Virg.
c. 34.Gen. 24:
60.
in Pſa. 75

Quas autem Pronubas habuerunt Neosponſæ, eas ut benefactrices imò ut Matres venerentur & ament: „ ut appeteres Virginitatem (lubet hîc uti verbis S. Hieron.) ut Chriſti præcepta cognosceres, ut ſcires „ quid tibi expedire quid eligere deberes, illarum te „ exempla docuerunt, ſancta domi inſtruxit converſatio. Non igitur ſolùm putes tuum eſſe quod tuum „ eſt, ſed earum, quæ ſuam in te expreſſere pudicitiam. *Moribus perverſis à ſuo nomine* ex S. Auguſtino nunquam *diſſonent*, ne provocaffe illas aut ſuis ſuffragiis earum Conſecrationem promoviſſe eas aliquando pœniteat. Neque ſint irrita Corivalium vota: *Soror noſtra es, creſcas in mille millia.* „ Virgo aut Caſtimonialis jam dicata Deo (ait D. Auguſtinus) habeat & cætera, quæ verè ornant ipſam Virginitatem, & ſine quibus illa Virginitas *turpis* eſt. „ Quid ſi enim ſit corpore integra & mente corrupta? „ quid eſt quod dixi? quid ſi nullus tetigerit corp⁹, ſed, „ ſi fortè ebrioſa ſit, ſuperba ſit, litigioſa ſit, linguoſa „ ſit?

„fit? hæc omnia damnat Deus. Si, antequam vo-
 „visset, nupsisset, non damnaretur: elegit aliquid
 „melius, superavit quod ei licebat, superbit & illi-
 „cita tanta committit. Hoc dico, nubere licet an-
 „tequam voveat, superbire nonquam licet. O tu
 „Virgo Dei nubere noluisti quod licet, extollis te
 „quod non licet: melior Virgo humilis quàm ma-
 „ritata humilis, sed melior maritata humilis quàm
 „Virgo superba. Quæ autem respexit ad nuptias,
 „non quia voluit nubere damnatur, sed quia jam
 „ante recesserat, & fit uxor Lot respiciendo retror-
 „sum.

§. III.

De Adolescentulis.

HÆresis fuit Hieracitarum licitas quidem imò
 & proprias fuisse Nuptias Testamento Veteri,
 at à Christi adventu illicitas ac prohibitas cœloque
 exclusas, ideoque, ut eæ in Lege Antiquâ mandatæ
 cùm ex semine Abrahæ semen illud exspectaretur in
 quo benedicendæ forent omnes tribus terræ, sic è
 contrario in Lege Nova imperatam omnibus & sin-
 „gulis continentiam: „Quid enim novi ut faceret,
 „venit Verbum? (apud S. Epiphanium argumenta-
 „batur Hierax eorum Patriarcha.) Aut quid novi,
 „ut prædicaret, venit Unigenitus & ut perpetra-
 „ret? si enim de Timore Dei, hoc habebat Lex. Si
 „verò de Nuptiis, prædicaverunt has Scripturæ. Si
 „autem de Invidia & Avaritia ac Injustitia, hæc o-
 „mnia continet Vetus Testamentum. At, ut unum
 hoc

Tom. 2.
 L. 2. Hæ-
 res. 67.

hoc solum perpetraret, venit nempe, ut prædicaret Continentiam in mundo, & sibi ipsi eligeret castitatem & continentiam, sine hoc verò non posse vivere. Hoc dogma, hoc Hæresis hujus fuit fundamentum: at dogma sine veritate & absque soliditate fundamentum. Veritas enim est per Evangelium nil Nuptiis derogatum, quin imò, cum eas duritia cordis Judæorum & Moyſis indulgentia quodammodo labefactasset, primogenio suo vigori per illos restitutas, nec abolitum generis humani Seminarium sed honore Sacramenti supervestitum ac decoratum. Veritas est, quæ & evertit fundamentum contrarium, Continentiam seu Virginitatem Salvatoris nostri non esse Legem quæ Fideles omnes à Nuptiis prohibeat, sed solummodo consilium, quod, *qui potest capere, capiat*. Felices autem illæ Virgines quæ in benedictionibus dulcedinis prævenit divina Bonitas, quò capere possint! Felices sanè quæ celestibus illecebris inescatæ capiunt! Felices inquam, non tam quod eas Continentia omnibus illis difficultatibus subtrahat, quæ conjugalibus deliciis concatenatæ sunt, quàm quòd in altiori honoris gradu constituat, & (quæ homini est & esse debet unica vivendi ratio) ad servitium divinum uberiores occasionem præstat: *cogitat enim Virgo ex Apostolo quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu*. Adeoque iterum felices, quæ in primo statim ætatis vestibulo id cogitare incipiunt!

1. Cor. 7:
34.

Ea quorundam ignorantia est, ut censeant non in prima sua innocentia, sed post expertas cum tædio seculi vanitates Deo Virgines esse consecrandas, non illaqueandas Virginitatis professione immaturas puellas:

puellas: at hallucinantur neque sapiunt ea quæ Dei sunt: nulla quidem ætas fera nimis obsequio divino sed nec ulla post plenum rationis usum eidem immatura, imò aptior deoq; gratior prima quàm provecta: præceperat is in Lege Veteri offerri sibi, non, medios, non fructus ultimos, sed primoprimos seu *frugum omnium primitias*, nec immolabatur in jure sacrificium ovis annosa sed Agnus anniculus & immaculatus, quò cultoribus Evangelii emblemata esset gratissima sibi ea pudicitiae Sacrificia, eas esse Virginitatis Victimæ, quæ, ac primùm maturuerint, non mundo sed sibi deferuntur, quæque adhuc sunt à contagione seculi immunes. *Placebit Deo super vitulum novellum cornua producentem & ungulas.* Ps. 68: 32. Faciliùs enim (quæ assertionis est ratio) sanctitatem hauriunt juniores, quàm collectas seculi feces & impressas vanitatum imagines exhauriant expungantque proveciores: *Tibi facilius in bonis cursus est, quam maiorum animi consuetudo non retinet*, apud D. Aug. Epist. scribitur Demetriadi, *cui non tam expellenda sunt vitia quàm refellenda, quæ utique non suscipere faciliùs est, quàm semel suscepta deponere.* 142. c. 17. Qua de causa illas absolute Virgines, has verò eis Proximas in Epithalamio divini Sponsi & Ecclesiæ dictas contemplatur Melifluus Burgundio: *Adducentur Regi Virgines post eam*, scil. Virginem & Sponsam Ecclesiam, *Proximæ ejus afferentur tibi.* Ps. 44: 15. „ Et ut quæque sciat, inquit, *in Cant.* „cujus Spiritus sit: Virgines dico illas, *quæ ante* „*Christo fœderatæ quàm fœdatæ mundi complexibus* „ipsi firmiter perseverant, cui se tantò feliciùs quantò maturiùs devoverunt. Proximas verò, quæ prius, stinam suam deformitatem, in qua mundo huic quan-

quandoque conformes mundi Principibus, id est, Spiritibus spurcis in omni carnali concupiscentia, sese turpiter prostituerant, tandem aliquando erubescences & exeuntes in novi hominis formam, quantò seriùs tantò sincerius reformare festinant.

Bonum est viro, addo ego & Virgini, ex Threnis Jeremiae, cum portaverit jugum ab adolescentia sua: & 28. debet solitarius, seu solitaria, & tacebit sine tumultu & strepitu secularium phantasmatum, quia utpote non obruta mundanarum vanitatum speciebus levavit super se, unde & Tertulliano Virgo felicio- L. 1. ad Uxorem dua laboriosior.

Addo tamen haud quaquam sufficere quòd prima ætas Virginitati devoveatur & Deo, nisi & subsequens ratum habeat ac conficiat, quod illa divinae Majestati addixit: quid namque proderit, quòd sub auroram itineri te accingas, si pleno jam die vel via deflectas vel cum tædio & sine ulteriori progressu in eadem hæreas? præstat incepisse nunquam, quam laudabile principium damnabili fine concludere: monet proinde præcitatus Bernardus: & hæc & illæ, Virgines scilicet & Proximæ, sanè proficiant, non deficiant neque fatigentur: Sibi que, quod de Aser Moyses, quælibet dictum accipiat: Sicut dies juventutis tuæ, ita & senectus tua. Quod ut efficacius sit, singula sancti Abbatis verba non nostro sed alieno lumine paululum illustrabimus, & ut inverso ordine procedamus.

Supra.

Deut. 33. 25.

Supra 6. 27.

PRIMÒ non fatigentur: excitandus est spiritualibus stimulis semper animus (docetur Demetrias) & majore quotidie ardore renovandus, orationis instantia, illuminatio lectionis, sollicitudo vigiliarum

rum & diurna & nocturna ejus incitamenta sunt :
 nihil enim in hoc Proposito otio deterius est , quod
 non solummodo non acquirit nova , sed etiam para-
 ta consumit. „ Sanctæ vitæ ratio processu gaudet
 „ & crescit, celsatione torpescit & deficit. Quotidia-
 „ nis & recentibus incrementis mens instauranda est,
 „ & vivendi nobis hoc iter non de transacto sed de
 „ reliquo metiendum est. Quamdiu sumus in hoc
 „ corpore numquam nos ad perfectum venisse cre-
 „ damus, sic enim melius pervenitur : tamdiu non
 „ relabimur retro, quamdiu ad priora contendimus,
 „ at ubi ceperimus stare , descendimus nostrumque
 „ non progredi jam reverti est. Cesset omnis igna-
 „ via & inutilis de præterito labore securitas ; si vo-
 „ lumus non redire, currendum est. B. Apostolus
 „ de die in diem vivens Deo , nec quod ante fecisset
 „ sed quod facere deberet , semper attendens dice-
 „ bat : *Fratres ego non arbitror me comprehendisse a-* Phil. 3:13
 „ *liquid : unum autem, quæ quidem sunt retro oblivis-* & 14.
 „ *cens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens ad desti-*
 „ *natum persequor brævium supernæ vocationis Dei.*
 „ Si B. Paulus ille Vas electionis, qui ita Christum
 „ indutus erat ut diceret : *vivo autem jam non ego*, Gal. 2:20
 „ *vivit verò in me Christus*, adhuc tamen se exten-
 „ dit crescit & proficit, quid nos facere debemus,
 „ quibus optandum est ut in fine nostro Pauli prin-
 „ cipio comparemur? Ergo tu hunc imitare, qui 1. Cor. 4:
 „ dixit : *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*, 16.
 „ obliviscere omne præteritum & quotidie inchoare
 „ te puta: ne pro præsentī die, quo debes servire Deo,
 „ præteritum imputes : optimè quæsitā custodies,
 „ si semper inquiras : damnum parata sentient, si pa-
 „ rare cessaveris.

SE-

SECUNDÒ *non deficiant*: ideoque non proci aliquando: non maritum, non delicias carnis, sed Dominum cogitent: hic solus in corde, hic solus hæreat in sensibus: non est alligatus proco uni Virginis nupturientis affectus, sed sperare sed desiderare eum licet è multis, qui maximè arriserit: at electione facta consummatisque nuptiis animus antea licitè vagus & liber jam ad unum restringitur, interdicta cum procis aliis omnis consuetudo, domus sua vacet, suo viro complacere studeat necesse est, quod

1 Cor. 7: antea licebat jam non licet, *quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Quem aliis præ-

34- tulit ei soli assuescat, adhæreat, complacere, adulteri si vel affectu alium sequatur. Eadem est causa Virginis, ei olim integrum vel cœlestem vel terrenum suspirare procos, liberrimum hîc arbitrium; at ubi Sponsum divinum carnalibus prætulit, omne ei cum hisce interdictum commercium, debet omnis esse & manere expunctus affectus, nonquam cogitandum divortium aut repudium, sit *charitas* stabili-

Serm. 18. *lis non arundinea* ex S. Bernardo. *Oleum effusum non*
in Cant. *men tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te, dilexerunt*
Cant. 1:2. *te nimis*, legit idem Abbas, id est, *valde, vehementer, ardentem* eodem interprete: vehemens sit hic amor

in Cant. qui omnes contrarias sollicitationes & imagines dispellat atque ardens qui omnem libidinis humorem consumat: nimius sit, quàm ut eum caro titillans aut dæmonis aut hominis cujuscunque blanditiæ vel

L. 1. ad lenocinia imminuant, superent, extinguant: *Obstipavit enim* (qua phrasi usus est Tertullianus) *car-*
L. de Virg. *nem suam*, unde & Virgines Augustino dictæ *Sectatrices perpetuæ continentiæ & sacræ Virginitatis.* *Ca-*
c. 18. *veant itaque ne deficiant.* Sed &

T E R

TERTIÒ *proficiant.* „ An sola ista vita est quæ
 „ certamen non habeat de profectu (apud demetria-
 „ dem instat Autor Epistolæ ad eam) & in qua u- *Supra. c.*
 „ nusquisque hoc tantum debeat permanere quod ^{12.}
 „ cœpit, nec ullo augmenti desiderio ad majora con-
 „ tendat, & cùm in omnibus mundi studiis profectu
 „ non fatientur homines, hîc tantum cœpisse suffi-
 „ ciet? ferventissimi in terrenis frigidissimi in cœ-
 „ lestibus sumus, ac summam in rebus parvis exhi-
 „ bentes alacritatem ad majora torpescimus. Con-
 „ siderare pudet quantus sit fervor in seculo, quâ cu-
 „ râ singula quæque studia hominum quotidie ad
 „ perfectiora nitantur! Literarum ardor nulla pror-
 „ sus ætate exstinguitur, imò, ut secularis Autoris
 „ utar sententiâ, ipsa magis ætate inflammatur: di-
 „ vitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit hono-
 „ rum cupido, celerem habituræ res finem sine fine
 „ quæruntur: nos divinam sapientiam, cœlestes di-
 „ vitias, immortales honores pigra quadam dissimu-
 „ latione negligimus, & spirituales delicias aut ne at-
 „ tingimus quidem, aut si leviter degustaverimus,
 „ continuò nos putamus esse satiatos. Aliter nos di-
 „ vina Sapientia ad suas invitat epulas: *Quiedunt me,*
 „ inquit, *adhuc esurient, & qui me bibunt adhuc si-* *Eccl. 24.*
 „ *tient:* nullus unquam talibus expletur epulis, nec ^{29.}
 „ aliquando patitur de satietate fastidium; tantò
 „ unusquisque capacior, tantò avidior erit, quantò
 „ inde plus hauserit. Dominus in Evangelio, *beati*
 „ ait, *qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi sa-* *Matt. 5:6.*
 „ *turabuntur:* vult enim esurire nos hîc semper ac
 „ sitire justitiam, ut in futura justitiæ retributione sa-
 „ tiemur: considerata vis ipsa verborum est, &

Tom. 1.

Orat. 31.

L. de Virg.

c. 56.

c. 13.

ita nobis desideranda est iustitia, ut in fame vel
 fiti cibus desideratur ac potus: & hoc in commune
 omnibus est dicendum his, qui immortalis vitæ,
 præmia desiderant: jam tuum est æstimare quan-
 tum animæ præstare debeas, quæ majoris præmi-
 i desiderio plus facere proposuisti quàm vel aliàs ne-
 cesse est: hactenus ille ad novellam Virginem: quod
 autem in epilogo ab ea exigit id Ecclesiæ Theolo-
 gus brevi hac sententia determinavit: „ Quæ sub
 go est aliqua ex parte fit Christi, quæ Virginitatem
 amplexa est tota Christi fit: illa mundo non pro-
 fus alligetur, hæc nullo modo animum mundo ad-
 dicat: quod enim conjugatæ est pars, id Virgini-
 totum fit. Tota enim *cogitat*, id est, cogitare debet
quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore & spiritu:
 quâ sanctitate seu sanctimoniâ juxta S. Aug.
 nomenclaturam Virgines *Sanctimoniales* nuncupantur.
 Si vis itaque (scribit Autor præcitatæ Epistolæ,
 quæ & huic materiæ coronidem imponent) Pro-
 positi tui magnitudinem æquare moribus, & per
 omnia Deo copulari, si leve ac suave jugum Chri-
 sti suavius tibi leviusque vis facere, nunc maximè
 in beata vita curam impende, nunc stude ut calen-
 tem recentis fidem conversionis novus semper ar-
 dor accendat, & in tenera adhuc ætate facilius san-
 ctæ conversationis usus inoleseat: quicquid in te
 primùm institueris hoc manebit, & ad initiorum
 tuorum regulam reliqua vita decurret: finis in ip-
 so exordio cogitandus est; qualis ad illum ultimum
 diem pervenire cupis, talis nunc jam esse conare.
 Consuetudo est quæ aut vitia aut virtutes alit, quæ
 que in his plurimum valet, cum quibus ab ineunte
 ætate

„ætate simul creverit: optimi sunt ad institutionem
 „morum primi quique anni, habent enim in se len-
 „tum quiddam & molle quod facilè formari queat
 „atque ad arbitrium volentis trahi, & in cunctis fe-
 „rè rebus citius assueffitur omne quod tenerum est:
 „novellas adhuc & vix firmæ radicis arbusculas,
 „dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamli-
 „bet partem flecti facilè est, quæ naturâ plerumque
 „curvatæ citò ad arbitrium colentis corriguntur. To-
 „nera adhuc & primæ ætatis animalia sine labore do-
 „mari solent, quantò citiùs à vagandi libertate dis-
 „sueta sunt tantò faciliùs vel colla jugo vel fræn-
 „is infuescunt. Ipsa quoque literarum studia tene-
 „ris meliùs inferuntur ingeniis, idque penitus inhæ-
 „rere sensibus solent, quod priùs federit in mente;
 „hoc idem plurimum etiam in bene vivendi ratione
 „valet, dum adhuc mobilis est ætas & animus duci
 „facilis exercenda boni consuetudo, & jugi medita-
 „tione firmanda est: occupandum est optimis rebus
 „ingenium & sanctæ conversationis usus altiùs in-
 „serendus est. Tunc verò ad perfectionis fastigium
 „animus ascendit & longæ consuetudinis benefi-
 „cio utitur ad benè vivendi facultatem, & virtutes
 „suas etiam ipse miratus secum quodammodo in se
 „putabit natum esse quod discit.

§. I V.

De Recollectione Annua.

QUOD celeberrimum & sanctum vocat, annum
 Expiationum festum à Domino in Lege institu-
 tum,

Levit. 16: tum, variis in locis describit Moyſes, in quo ab omni alio opere feriati, de peccatis omnibus toto anno commissis Iſraëlitæ pœniterent, oblatisque hostiis à divina misericordia veniam exorarent: *In hac die ex-*

Levit. 16: *piatio erit vestri*, ait Legislator, *atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini.*

30. Ejus, quod *Recollectionem annuam* dicunt, & omnibus spiritualis profectus Studiosis impensè commendant Ascetices Magistri, illud ego Imaginem existimo: ut enim, licet peccata singula pro sui expiatione sua per annum Sacrificia à pœnitentibus expresscripto Legis poposcerint, necessarium tamen erat certum aliquod tempus deputari quotannis, quo sepositis negotiis aliis (si qui fortè suo aliquando defuissent officio) soli divini Numinis placationi, peccati excidio & animæ nitori vacarent: sic etiam, licet habeat pius Asceta pro quotidianis delictis serotinum conscientiae scrutinium, in quo offerat *Sacrificium spiritus contribulati*, licet frequentissimum etiam recursum habeat per annum ad Sedem confessionalem, ad Gratiae Tribunal, ubi per contritionis lachrymas ablutis animæ fordibus ei in Sacramento Reconciliationis offensus propitiatur Dominus, volunt tamen, ut annis singulis ad minus per octiduum aliis occupationibus se subducatur, solique animæ negotio in hoc secessu totus incumbat, non solum quò se in laborioso hoc otio, si quæ fortè etiamnum inhærent, ab admissis piaculis emundet & expiet: sed vel maxime ut in eorum radices inquirat, quò eas evellat, ne amarum peccatorum fructum damnabili fœcunditate rursus progerminet: ut quod debilitatum invenerit, medicâ manu confirmet: quod bonum & utile, dili-

diligentiori studio foveat: quod necessarium & absens, solerti curâ & industriâ acquirat. „ Quantumlibet enim castè & sobriè mortalis hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis aspergitur, & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non ita à fumo totius vanitatis est alienus, ut nullâ possit sorde fuscari, & non semper indigeat expoliri: quod si etiam castissimis Animis necessarium est, quantò magis est expectandum, qui tota fortè anni spatia aut seculariùs aut negligentius transierunt? quæ est sententia verè *Hom. 38. in Matth.*
Oris & Pectoris Aurei, S. Chrysostomi.

Tu itaque Virgo, quæ animæ tuæ nitorem amas seu potius amare debes, utpote auctorata Deo & iis cogitandis quæ domini sunt, quò sis sancta corpore & spiritu, celebra annum hoc Expiationis Festum: non quotidie tantum domum everris, nec sufficit eam expurgasse hebdomadis singulis, sed & in eadem mundanda quotannis dies plurimos infumis, reparas quod confractum, inveterata renovas, defectus supple, omnia penè suo moventur loco, quò sordes omnes egeras: quod impendis domicilio in quo habitat corpus tuum, noli hoc negare animæ tuæ hospitio cuius incola Deus tuus: non tibi sufficiat piis affectibus novisque propositis illud quotidie in matutina Meditatione exornasse, & quicquid pulveris terrenæ conversationis vel per ostium cordis vel sensuum fenestras toto die illatum scopis vespertini Examinis expurgasse: non tibi videatur satis illud singulis hebdomadis lachrymarum aquâ in Pœnitentiæ Sacramento à peccatorum sordibus mundasse: sed & quotannis certum aliquod tempus huic negotio

tio consecra, illud scil. octiduum quod præcedit anniversary Consecrationis tuæ diem: ut autem hic Secessus suo non careat successu,

PRIMÒ in ejus exordio protestaberis non te investigaturam profectum tuum ad vanam gloriam, si eum deprehenderis, sed quò Deum glorifices in donis suis: neque si adverteris defectum vel regressum quò animum despondeas, sed quò te ad profectum impellas.

SECUNDÒ, bis quotidie, manè scil. & à prandio iis Meditationibus vacabis, per quas (ut ex D. Bernardo loquar) intentio terrenis incurvata curis de imis ad superna resurgat & affectio circa cordis desideria languens in amorem spiritus convalescat: sunt enim Meditationes veluti totidem Conciones quibus teipsam ad Dei tui amorem, virtutis studium ac vitiorum odium commoveas, &, si fortè hæreas in frigore vespertino, ad meridianum calorem propellas.

TERTIÒ novo peccati odio concepto & desiderio perfectionis succensa rigidissimo Examine scrutaberis quorum vitiorum tyrannide animus tuus opprimatur, quæ peccata in animam tuam frequentius irrepant ejusque nativam pulchritudinem inficiant, quarum virtutum surculi ibidem enascantur & succrescant, *ponite corda vestra super vias vestras*, ait Dominus apud Prophetam: quod ut ritè fiat diebus singulis examinis tui materia sit unum è septem peccatis capitalibus: ideoque

Die Solis	} instituat ^r Scrutinium in ei oppositas virtutes & Peccatum	{ Acediæ. Gulæ. Iræ. Avaritiæ. Die
Die Lunæ		
Die Martis		
Die Mercurii		

*Tract. de
Gratia
& lib. arb.*

*Aggæi 1:
v. 5.*

Die Jovis } instituat^r Scrutinium in ei } Superbiæ.
 Die Veneris } oppositas virtutes & Pec- } Luxuriæ.
 Die Saturni } catum. } Invidiæ.

Virtutibus, quas deprehenderis, solertem industriam polliceberis, quò stabiles perseverent & fecundæ:
Confirma hoc Deus, cum Psalmographo obsecrabis, *Pf. 67:29*
quod operatus es in nobis. „Tu, ô Virgo Christi, sci-

„to te à teipso nihil habere nisi peccata, (inquit Ab-
 „bas Mellifluus) cætera verò bona gratiæ Sponsi tui
 „sunt. Gratulare ergo, id est, lætare simul & gra-

„tias age ei, à quo habes esse & benè esse, & tantò
 „magis dilige Dilectum tuum, quantò pluribus &
 „majoribus donis suis suam erga te comprobat dile-
 „ctionem: imò & ipsa dona virtutum plùs dilige,
 „diligentiùsque conserva, quia hoc à tam dilecto &
 „tam diligendo accipere meruisti, quàm si propriis
 „viribus hoc obtineres: in retinendo datum diligen-
 „ter dantis dilecti Sponsi tui dilectionem ostende,
 „quia non debet dare vilia munera dator tam pre-

„tiosus. Vitiis verò excidium minaberis, Domino
 supplicans cum Augustino: „Imperfecta mea plu-
 „rima vident oculi tui: mitte quæso manum pieta-

„tis tuæ in me, & tolle de me quicquid offendit ocu-
 „los pietatis tuæ in me. Coram te Domine est sani-

„tas & infirmitas mea, illam precor serva, istam sa-
 „na: *Sana me Domine & sanabor, salvum me fac &*
 „*salvus ero*, tu qui infirma sanas, & sanata conser-

„vas, tu qui nutu tuo restauras diruta & collapsa.
 Et cum Psalte Regio: *Benignè fac Domine in bona* *Pf. 50:20.*
voluntate tua Sion, ut ædificentur muri Jerusalem, vel
 socordiâ mentis ruinosi, vel tentationum concus-
 sionibus dissipati.

QUARTO ex te occupabunt Lectiones, qui succensum perfectionis desiderium tanquam flabella seu folles amplius inflamment, quæque suis suggestionibus conceptum peccati odium vitiorumque exitium altius animo infigant ac stabiliant: eas non assigno, neque Meditationes aut Examina præformo, cum id abundè præstiterit in *Annua sua Recollectione* noster Eximius *Mattius*, cui absolutissimo ac nitidissimo Operi aliquid velle addere foret decerpere, seu potius fordido calamo maculas aspergere.

QUINTO denique erudita jam in hac propriæ cognitionis Scholâ Deo & superiori tuo supplex generalis ab ultimâ peccatorum tuorum confessionem institues, ut sic veteris vitæ vetustate depositâ in novam transeas creaturam: quem & eorum omnium conscium facies, quæ toto hoc octiduo gesta fuere, ut proposita tua ejus calculo approbata, & consilio firmata atque manu obstetricante adjuta debitum aliquando consequantur effectum: quem in finem pro te rogo Dominum Virginitatis & omnis sanctitatis authorem ac conservatorem cum D. Ambrosio:

Instit. Virg. „Pone ut signaculum verbum tuum in corde ejus,
c. 17. „in brachio ejus, ut in omnibus sensibus & operibus
„ejus Christus eluceat, Christum intendat, Christus
„suum loquatur.

EPILO-

EPILOGUS.



Perarium mercede suâ dignum decreto-
riâ sententiâ pronuntiat suprema Veritas :

Dignus est Operarius mercede suâ : eam *Luc. 10:7.*

iisdem omninò verbis Veritatis Præco *1 Timoth. 5:18.*

promulgat. Cui innixus, cùm Virgini formandæ to-
to hoc opusculo insudaverim, eo jam completo debi-
tam exigo laboribus meis mercedem. Quam autem?
certè non pecuniariam, cùm noverim gravissimam
Prophetæ invektivam in eos Sacerdotes, qui *in mer-* *Mich. 3:11*
cede docebant, Pecuniæ Accipitres à Satyro D. Am- *S. Ambr.*
brosii Fratres appellati, &, quod gratis acceptum *in ejus Ob-*
etiam gratis dandum, Lex Evangelica præcipiat, *itu. Matt. 10:8*
„ Clerici ipsi (est ea D. Hieronymi Sanna & nota) *Epist. 22:*
„ quos & magisterio esse oportuerat pariter & timori, *c. 6.*
„ osculantur capita Matronarum, & extentâ manu,
„ ut benedicere eos putes velle si nescias, pretia acci-
„ piunt salutandi: illæ interim, quæ Sacerdotes suo
„ viderint indigere præsidio, eriguntur in super-
biam, &c. Prohibet Evangelium *sacculum* cir- *Luc. 10:4.*
cumferri & *peram*, *peram* in qua *Cupiditas* oblata re-
cipiat, *sacculum* autem in quo recepta *avaritia* cu-
stodiat. Quam ergo? non aliam quàm Virginis pro-
fectum desidero, quem si obtinuero, abundè mihi
satisfactum gratulabor: „ Præes, & singulariter, ad
„ quid? (Summo Ecclesiæ Præsuli scribebat Abbas *L. 3. de*
„ Clarevallenfis, sed quod & inferiores instruit:) *Confid.*
„ Numquid ut de subditis crescas? nequaquam, *c. 3.*
„ sed ut ipsi de te. Principem te constituerunt, sed
„ sibi non tibi: alioquin quo pacto te reputas supe-
riorem

riorem his, à quibus beneficiū mendicas? audi Do-
minum : qui potestatem habent super eos benefici,
vocantur : at istud de his qui foris sunt, quid ad
nos? tu id mendiciter diceris, si non tam beneficus
esse, quàm beneficiis præesse intendas : parvi de-
ctique animi est, de subditis non profectum quæ-
rere subditorum, sed quæstum proprium, in Sum-
mo præsertim omnium Pontifice nihil turpius.
Quàm pulchrè Magister Gentium parentes filiis,
non filios debere censuit thesaurizare parentibus!
non mediocris gloriæ vox illa identidem ipsius :
non requiro datum sed fructum. Qui & mihi suf-
ficiet, si eum his meis excerptis fuero consecutus:
Epist. Joann. 3. vers. 4. *Majorem enim horum non habeo gratiam, quàm ut
audiam filios meos (etiam Virgines) in Veritate am-
bulare.*

Tu itaque Virgo in Mystica hac Scala ad perfe-
ctionem ejusque fontem & fructum non lentis passi-
bus propera : sequere Agnum quocunque ierit, &
in veritate ambulabis.

Sequere Agnum incontaminatæ Virginitatis se-
Es. 17:31. mitâ, viâ verè impollutâ, te præeuntem, non im-
mundum Spiritum aut ejus Emissarios te ad conti-
nentiæ naufragia aut immunditiæ voraginem abdu-
Luc. 9:62. cturos : constantia hîc necessaria (*nemo mittens ma-
num suam ad aratrum & respiciens retro aptus est regno
Dei*) non ea tamen, quæ pertinacia potius est, quàm
stabilis præclari Propositi Amor, *stabiles estote & im-
mobiles, abundantes in opere Domini*, clamat Aposto-
1 Cor. 15: 58. licæ prædicationis autoritas. Qualis erit, si memi-
neris (lubet enim dicta hæcenus in synopsi repe-
re) pudicitæ Virginalis patriam esse Paradisum, Vir-
gini.

ginitas in Paradiso vigeat, inquit D. Damascenus: *L. 4. Or-*
 „Crescat & multiplicetur ille, (denuntiat S. Hiero- *thod. Eid.*
 „nymus) qui impleturus est terram, tuum agmen in *c. 25. Epist. 22.*
 „cœlis est: *Crescite & multiplicamini*: hoc ex- *c. 8.*
 „pletur Edictum post Paradisum, & nuditatem, &
 „ficus folia auspicantia pruriginem nuptiarum....
 „ut scias Virginitatem esse naturæ Nuptias post deli-
 „ctum, virgo nascitur caro de nuptiis, in fructu
 „reddens quod in radice perdiderat. Si animo vol-
 „veris eam post sui exilium & suspensionem tempora-
 „riam à Redemptore mundi in Ecclesiam suam rece-
 „ptam summisque honoribus decoratam, sive, ut cum
 „D. Hieronymo loquar, à Salvatore Virgine dedica- *L. 1. ad-*
 „tam, non tamen cum SS. Brigitta, Clara aut There- *vers. Jo-*
 „sia intra solos Monasteriorum cancellos conclusam, *vinian. c. 13.*
 „sed cum SS. Thecla, quam Paulus instituit, Agatha & *S. Ambros.*
 „Agnete adhuc in seculo superstitem: proinde vos quo- *L. 2. de*
 „que laudate eum, inquit S. Augustinus, qui vobis præ- *Virg.*
 „stat, ut in ardore medio seculi huius, quamvis conju- *L. de vera*
 „gio non copulemini, non tamen uramini: sit autem in- *Virgin. c. 56.*
 „ter te & illas non superba contentio, quænam videat-
 „ur esse major, quam ab humilitatis Schola jam olim
 „humilitatis Magister proscripsit, sed de virtute ac
 „profectu pia Deoque gratissima concertatio. Si in
 „pretio habeas familiare spiritus tui cum Deo tuo
 „commercium, quod tibi præstat continentia pietatis, *ibid. c. 8.*
 „quæ est phrasis Augustiniana: „O quàm bonum
 „& jucundum est (exclamat Virgineus Bernardus) *Tract. de*
 „tecum ô dulcissime Jesu habitare in unum, tecum *Pass. Do-*
 „colloqui, tibi revelare causam animæ nostræ, *mini. c. 27*
 „tuæque consolationis responso perfrui! Si ejusd.
 „prærogativam respicias, non solum quâ superat
 con-

Conjugium (superat inquam non condemnat, et enim ex S. Ambrosio *Præsul conjugii Deus*, isque *faminam de masculo mutuatus duo corpora ex ejusdem materiae consortio sumpta rursus in se matrimonii compactione compegit*, inquit Tertullianus) sed quam obtinebit in cœlesti præmio: *Dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen sempiternum dabo eis quod non peribit*, spiritualibus Eunuchis, id est, Virginibus & Continentibus pollicetur divina Liberalitas, quam qui negant, eos nonnemo ex SS. Patribus *paupertatem quandam cœlestium remunerationum* scripsit inducere. Si denique eandem virtutem angelicam agnoscas: Muniantur ergo undique Virgines, (ex hoc capite urget D. Basilus) ac se observent summâ diligentia, ne sicut à terra & hominibus in cœlestem angelicamque dignitatem ascenderunt, ita è contra ab Angelis & cœlis in terram pessimâ ruinâ delabantur. Sequere itaque Agnum, & quò constanter sequareis, horum omnium memoria jugis in te perseveret.

Sequere Agnum, non in solo Virginitatis tramite, sed & in omnium virtutum semita præambulum, ad sequelam non compellaris invita, non traharis refractaria, non hîc locum habeat præteritum aut futurum quòd fueris aliquando secuta aut sis etiamnum secutura, verba tantum dabat qui pollicebatur: *Matth. 8: 19. gister sequare te quocunque ieris*: sed sequareis modò, sequareis semper & ad sequendum alios tecum trahere, nam

*Gratior est Astris multis qui venit Amicis,
Quàm Sociis nullis qui comitatus adest.*

Nul-

ullus in sequela torpor, nullum spiritus tædium obrepit, *sequebatur Petrus à longè & à Via regia* *Matt. 26:*
 deflexit, *sancti enim corruunt si fuerint negligentes, ob-* 58.
 servat D. Hieronymus: „ Bonum namque propo- *Epist. 34*
 „ situm unde tentatur Acedia est, quâ quandoque *ad Fu-*
 „ in tantum tentantur Electi (inquit Mellifluus Bur- *lian.*
 „ gundio) ut non orare libeat, nec legere, nec medi- *Tract. de*
 „ tari, nec aliud quicquam operari eorum, quæ sunt *passione*
 „ quædam fomenta animæ, quia oratione, lectione, *Domini*
 „ meditatione seu etiam exercitio corporis vires ani- *c. 22.*
 „ mæ reparantur & conservantur & augentur, eis-
 „ que subtractis animam languescere necesse est, &
 „ in frigus mortale resolvi statimque subintrat luxu-
 „ ria vendicatque sibi sedem in anima frigida & eam
 „ pessimè suo igne calefacit.

Sequere Agnum & quò pressò pede sequaris, iis
 Exercitiis animus assuescat, quæ te novis quotidie
 stimulis ad sequendum impellant: iis Meditationi-
 bus vaces, Lectionibus incumbas, eas cogitationes
 foveas, ea Virginum consortia quæras & colloquia
 misceas, quæ te non remorentur sed ad sequelam
 promoveant: „ Breviter dico (loquitur Os Melli- *Supra c.*
 „ fluum) quòd quicunque sciunt mentis oculos in- 27.
 „ terioribus contemplationibus occupare, & linguam
 „ animæ ad divinum colloquium referare non solum
 „ non delectantur exterioribus visibus vel collo-
 „ quiis, verum etiam plurimum fatigantur: hi verò,
 „ *qui intrinsecus cæci sunt & muti*, & contemplatio-
 „ ne divinâ & orationibus devotè nesciunt se occu-
 „ pare, exteriorum sensuum subsidia quærunt, & lon-
 „ gitudinem temporis, quâ gravantur, inutilibus
 „ confabulationibus expendere satagunt. Exteriori-
 bus

bus enim colloctionibus velle occupari signum certissimum est Animæ otiosæ, quæ ad colloctionem divinam nullâ penitus devotione levatur, tantoque altius se quisque noverit in virtutum gradibus ascendisse, quanto minus humanis colloquiis delectatur, nisi fortè ejusmodi hominum, in quibus ipse Deus loquitur & per quos verbum Dei auditur: tales enim non audiuntur propter se sed propter Deum, qui & habitat & loquitur in ipsis, & cum talibus loquendo à nostris sæpe Domino cooperante dubietatibus expedimur, à pravis abducimur & in bono proposito confirmamur.

Sequere denique Agnum, non sensus non voluntatis propriæ diverticula sed cum eo voluntatem divinam, quam ex ore tui superioris agnoscas, nam *Domini obtemperandū est imperio, humano subdi necesse est magisterio*: „ Non quæro voluntatem meam (is inquit) sed voluntatem ejus qui misit me. Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam sed voluntatē ejus, qui misit me. Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus ejus: ideoque decepti ex hac cum divina voluntate conformitate unam in eo voluntatem statuerunt *Monotelitæ*. Sequēris Agnum? eadem cum divina sit & tuæ voluntatis conformitas, non deviat ille à voluntate Patris, non deflectit ad illicita, quæ dicit: *Ego quæ placita sunt illi facio semper*: „ quomodo enim posset sequi Virgo superba Agnum in humilitatis via gradientem ad quem nullo modo accedit? quomodo mitissimum iracunda? quomodo ferventem charitate invida? quomodo largissimum avara? quomodo sobrium ebria? Am-
bulat

Joan. 5:

30.

Ibid. 6:38

Ibid. 4:34

Ibid. 8:29

S. Bern.

supra

c. 31.

„bulat in omni via omnium virtutum Agnus, am-
 „bulet sic & Virgo cupiens Agnum imitari: sit mi-
 „tis, sit humilis, sit charitate fervens, sit larga, sit
 „alacris, sit sobria & imitabitur Agnum quocun-
 „que ierit. Lapsa es in itinere? Vires te deficiunt?
 erigat te per Sacramentum Pœnitentiæ, & in sacra
 Communionem carnibus & sanguine divinissimi hu-
 jus Agni reficiat director tuus: verbo, sequere ut
 in æternum sequaris.


Didicisti Catalogum virtutum tuarum, ad Viduam
 scribit D. Hieronymus, sed quo & Virginem allo-
 loquor, *quid debeas nomini tuo, quibus meritis secun-* Epist. 9.
dum (dico ego & primum) *pudicitie gradum possideas.*
 „Quod si cogitatio hæc in animum summittatur
 „(ad cautelam suggerit D. Athanasius & ego ex illo) L. de Vir-
 „quæ suadeat, ne tanta mole difficultateque elucte- gin.
 „ris ad salutem, ne audieris eam, quum inimicus
 „sit, qui tibi in animam hanc mollitiem &
 „supinitatem suggerat, ut te deturbet è bona vita:
 Virgines enim *ampliores gradum honoris & sancti-*
tatis in Ecclesia tenere docet S. Augustinus, & to- Tract. 9.
 tus hîc noster Tractatus, quem proinde finiens mo- in Joân.
 neo & rogo cum D. Cypriano: *Durate fortiter, spi-* De Hab.
ritualiter pergite, pervenite feliciter, tantum memento- & Disc.
te tunc nostri, cum incipiet in vobis VIRGINITAS Virg.
honorari.


F I N I S.


Mendæ sic emendandæ.


Pag.	17.	lin.	7.	hunc	<i>lege</i>	huic.
pag.	19.	lin.	1.	prodantque		produntque.
pag.	28.	lin.	2.	protulit		prætulit.
pag.	30.	lin.	13.	capta		casta.
pag.	30.	lin.	14.	& astant		ei adstant.
pag.	33.	lin.	27.	vestri		vestræ.
pag.	35.	lin.	14.	Solymæ		Solymæo.
pag.	47.	lin.	31.	punitionum		punctionum.
pag.	66.	lin.	12.	pueribus		pueris.
pag.	76.	lin.	28.	incontinentes		continentes.
pag.	126.	lin.	11.	abstine		abstinet.
pag.	165.	lin.	21.	recitionem		recitationem.
pag.	168.	lin.	2.	Diagraphus		Biagraphus.
pag.	194.	lin.	6.	cordones		cerdones.
pag.	251.	lin.	23.	Populi	<i>adde</i>	salutem.
pag.	252.	lin.	4.	est.	<i>lege</i>	ei.
pag.	312.	in marg.		Hom. 245.		Hom. 45.

Reliquas ubi vel litera omiſſa vel tranſpoſita, ſenſus ipſe indicabit & corriget.









Scala
Jacob

Th
2867